Universitätsbibliothek Paderborn

# De Sapiente Frvctvoso Epistolares Libri quinque

**Bonifacio, Juan**

**Ingolstadii, 1606**

Liber Quintus

urn:nbn:de:hbz:466:1-51159

Visual Library

# DE SAPIENTE FRVCTVOSO.

## LIBER QVINTVS.

### CVIDAM,

*De confeßionibus alacriter audiendis.*

O PRÆCLARAM animi propenſionem, iuuandorumq́ue hominum egregiam voluntatem! Perge qua cœpiſti, tibiq́; in iſto ſtudio temperare noli. Concionandi cupiditas verecundiam quandam affert, audiendarum confeſſionum amor iſte tuus non colorum ſpectator, ſed morum, neque formæ ſpecie incenſus, ſed virtutis pulchritudine excitatus, prædicabilis eſt, præſerendus, gloriandus. Tu enim non is es, qui alba & atra, ſed qui honeſta & turpia diſcernas. Neque oculorum aſpectum adhibes, ſed mentis ratio-

nisq́;

iſq; iudicio vteris. Quare ſi ſtas, in-
gredere, ſi ingrederis, curre, ſi curris,
uola. Iſta Societatem iuriſdictio de-
it, iſtud eſt, quod probo tribunal.
bi agnoſcenti ac confitenti explo-
ta ſalus eſt, inficianti, & erubeſcenti
rta damnatio, neganti nulla venia,
ontraria atque fori, iudiciorum, capi-
liumq́; triumuirum ratione. Apud
os enim cœlare, & obſcurare ſcelus,
facinus inficiari prodeſt, in iſtis au-
em tacitis, ſacriſq́; iudiciis tota eſt in
gnoſcendis, fatendis, aperiendiſq́ue
agitiis poſita ſalus. Sacerdotũ enim
lementia, Dei clementia eſt, quæ in
ondonandis grauiſſimis ſceleribus
aximè cernitur, & in expiandis ho-
inum flagitiis tam multis, tam cre-
is, tamq́; tetris apparet. Quanquam
cerdos, qui Chriſti vicarius eſt, pro
a quemq́; culpa caſtigat. Proq́ue
icti magnitudine pœnam impo-
t, in quo ſacri huius auditoris & pla-
eregij debet elucere prudentia. De
ratis enim & vindicandis & extir-
ndis, funditusſq́ue eiiciendis nos

oportet laborare, vt ſacra præcipu
nodus Tridentina ſeſſ. 14. c. 8. La
ſeueritatẽ, ſed cautioni ac prouid
tiæ, quæ præſentit in poſterum, m
to plus tribuo. Illa enim ſalu
pœna eſt, quæ ita reum punit, v
tiam emendet, ac corrigat. Per
nationes, verbera, ieiunia, cilicia
diſplicent, hymnorum recitando
pia eſt, & præclara neceſſitas. Sed
niſi cautè, prudenter, tempe
moderateq́ue imponuntur, h
numq́; periclitatis moribus, & o
dunt, & interdũ nihil efficiunt, v
hos atque hos amicos, & contube
les relinquas, vt crebrò peccata
ſacerdotem ponas, vt libros ſalu
ter ſcriptos euoluas, vt concioni
adſis, vt illam domum, vbi pec
illecebra eſt, tibiq́ue à malo d
ne tenduntur inſidiæ, quaſi peſ
fugias, qui non modò hortatur,
etiam cogit, præclarus eſt medic
Quem qui accuſat, inquiorem
dicit, demens profectò ſit. Ex quo
telligitur, quanta nõ ſolùm inno
tia, int-

e, integritate, fide, doctrina, ſed pru-
ntia quoque, calliditate, patientia,
itate illos eſſe ſacerdotes oporteat,
quorum pedes ſe Chriſtiani flẽtes,
pliceſq; proiiciunt: integerrimos
im iudices hæc cauſa poſtulat, pru-
entiſſimos medicos, ſcientiſſimos,
ercitatiſſimos, caſtiſſimos, patien-
ſſimos morbi iſti requirunt. Nam
uia res ſit occultiſſima, fidem, quia
cra, religionem, quia lubrica, con-
antiam, quia libidinis interdum ha-
eat inuitamenta, caſtimoniam, quia
fficilis ſit & obſcura, doctrinæ lu-
en, claritatemque deſiderat. Itaque
unquam ſatis laudari moralis Theo-
gia poterit, quæ Chriſtianæ vitæ
ficia deſcribit, cuius ſcientiſſimos
los eſſe velim, ad quorum aures Chri-
i cultores culpas proprias inſuſur-
unt. Sed in animi inductione, in-
ue natura ſunt omnia. Qui enim
n Martino Aſpilcueta viro præclaro,
uiq; in ſcriptore grauiſſimo Soto, qui
n Syluestro, inq; multorum aliorum
criptis volutatus vel timidè nimis

hoc

hoc munus exercet, vel confeſſion
inuitus excipit, citoq́ue ex oculis
neſcit, multis partibus illo inferior
qui mediocriter eruditus, inque
cando firmus, inaniumq́ue ſcrup
rum expers, omnibus libenter
præbet, neminemq́; non recipit,
ita ſe gerit, vt eos etiam, contra q
ſtatuat, æquos, placatoſq́ue dimit
Nihil illo Chriſti operario laborio
cui ne in communi quidem otio,
Chriſtianorum feriis cæterorum
liceat ocioſo, nihil illo homine
dius, quem tam ſpurcæ res, tantaq
fœditas inquinare non poſſit, nihil
lo rectius, nihilq́ue integrius, quem
gratia non flectat, nihil eo pruden
quem tam multa, tamq́ue diuerſa
fugiant, nihil illo amantius, qui æ
tantibus præſto eſt, periclitantib
ſubuenit, conſultoribuſq́ue reſpon
det, quibus tota domus ſæpe comp
tur. Hæc enim Chriſtianis ex naufr
gio tanquam tabula reſtat, quam
cerdos officioſus & ſanctus illis, q
enatant libenter opponit, cauetq; ne

qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſi in mare decidit, fluctibus obrua-
r. Cumque vt bene Tullius, non 3. In Catil.
inus iucundi ij ſint dies, in quibus
inſeruamur, quàm in quibus naſci-
ur, profectò ad homines, quos ba-
ſmo renatos ſcimus, ex orci fauci-
s eripiendos, & peccatorum, quæ
oſt regenerationis lauacrum morti-
ra commiſerunt, integra, ſyncera,
lacrymoſa confeſſione ſanandos
omptiſſimi, & paratiſſimi eſſe debe-
us: quorum expediendæ ſalutis in
is pœnitentiæ opertis commodiſſi-
a ratio eſt, quibus tamen operam
t ſacerdos & eruditus & ſanctus.
eræ quidem pœnitentiæ imaginem
cleſiaſtici verba illa depingunt: *con-* Cap. 17.
*tere ad Dominum, & relinque peccata,*
*care ante faciem Domini, & minue of-*
*dicula:* id eſt, & peccata, & peccandi
caſiones, & cauſas relinque. Ille e-
um reſipiſcit ex animo, ille demum
nualeſcit ex morbo, qui cum pecca-
deſinat, illa funditus eiicit, quæ pec-
torum quaſi ſemina eſſe videbãtur.
i verò tum peccare deſinunt, cum
pecca-

peccare non poſſunt, quique vi
te morte, ac impendente ad hanc
eram confeſſionis anchoram co
giunt, hos an verè pœniteat, dub
controuerſumque eſſe meritò d
*Exod. 8.* Siquidem Pharao plagis ſæuient
*Verſ. 10.* montes aureos pollicebatur, v
uina manus cœpiſſet eſſe remi
lababat, mutabatque ſententi
Confeſſionis autem vim & robur
uidicus hymnus ille declarat,
*Pſal. 31.* *ctum meum cognitum tibi feci, &*
*confitebor aduerſum me iniuſtitiam*
*Domino, & tu remiſiſti impietatem*
*cati mei.* Quid rurſus confeſſio
omiſſio mali inuehat, eiuſdem
uidis verſus ille demonſtrat, *q*
*tacui, inueterauerunt oſſa mea.* Q
*Num. c. 5.* quòd lex illa vetus & priſca hanc
dem confeſſionem adumbrauit,
iubebat eos, qui deliquiſſent, p
ta confiteri. Vt minimè mirand
ſit, ea lege, quæ latorem Chriſtum
bet, quæq; nos Deo opt. max. qu
gratiſſimos eſſe vult, fateri neceſſe
peccata, quæ re ſint, verbis, & m

mmiſſa : eoq́; Chriſti Sacerdotum
teſtatem perueniſſe , vt diuo Hier-
nymo teſte, *claues regni cœlorum ha-* *Epiſt. ad Heliodo.*
*ntes quodammodo ante iudicij diem iu-*
*ent.* Poſſem equidem ſanctorum
trum de confeſſionis ſaluberrimo
u, poſſem priſcorum de hoc ad-
irabili Sacramento innumera te-
imonia proferre. Sed vno peranti-
ui, perdoctiq́; Adamantij Origenis
rocontentus : vt enim illis occurre-
t, qui veteris legis tam multa laua-
a, expiationeſq́; deſiderabant, expi-
ndi in noſtra lege peccata rationes
ultas enumerat longè meliores. *Ex-*
*tur*, inquit, *baptiſmo, eleemoſynis , re-* *Homil. 2. in Leuitic.*
*iſſone iniuriarū, charitate, qua peccatrici*
*ulieri peccata multa remiſſa ſunt, homini-*
*s ab errore & viæ prauitate ad verita-*
*m & rectam rationem traducendis , hæc*
*im res multitudinem tegit peccatorū, tol-*
*ntur etiam pœnitentia peccata quamuis*
*erbiùs & laborioſiùs , cùm lauat peccator*
*lacrymis ſtratum ſuū , & fiunt ei lacrymæ*
*nes die ac nocte, & cùm non erubeſcit Sa-*
*rdoti Domini indicare peccatum ſuum, &*
*quære-*

*quærere medicinam, ſecundùm eum*, qui *ait, dixi, pronuntiabo aduerſum me iniuſ*-*tiam meam Domino, & tu remiſiſti impie*-*tatem cordis mei.* Hæc Adamãtius tem-porum illorum teſtis, in quibus Apo-ſtolica, atque adeò Euangelica inſti-tuta viguerunt: quem ſi non ſancto, certè ſapientibus & doctis annume-ro. Sacramentalis confeſſionis pri-mordia Lucas oſtendit Acto. 19. cum dicit, multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos: vbi ipſa lethalium ſcelerum enu-meratio deſignatur: hũc Lucæ locum Baſilius adducit, cùm de pœnitentia diſputat Moralium ſummis, capite Non eſt illud Eſaiæ tacendum, vt Se-ptuaginta vertunt, cap. 43. dic tu pri-mum iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Hoc quidem Chriſtianis ab ipſo Deo traditum de confeſſione præceptum neque cum ratione, neque cum an-qua Philoſophia pugnare Horatij ver-ſus ille indicat,

Lib. 1. epiſt. ad Quintium.

*Stultorum incurata pudor malus vlcera* (*celat.*

Perinde eſt enim ac ſi diceret, qui-

man-

i volunt, eos neceſſe eſt animi æ-
tudines & vulnera non turpi vere-
ndia tegere, ſed ingenuè confiteri
medicis aperire. Quid Tullius? non-
ſperat fore, vt veniam eò faciliùs
Cæſare impetret, quò clariùs de-
rato ſit & culpa cõfeſſus? *Ego* inquit,
*parentem loquor, erraui, temere feci, pæ-
et, ad clementiam tuam confugio, delicti
niam peto, vt ignoſcas oro, ſi nemo impe-
uit, arrogāter, ſi plurimi, tu idē fer opem,
i ſpem dediſti.* Sed quid ego oratores,
ëtaſq; cõmemoro, quos vtroſq; lite-
s & doctrina fuiſſe ſcimus excultos?
ſi Peruani priuſquam Chriſtiana
ra ſuſciperent, (niſi ſi traditæ ab
poſtolis fidei quædam hæc eſſe ve-
gia dicimus) iis peccata aperiebant,
os eſſe crederent ſapientes, & con-
entiam deonerabant, ſcelerumq́ue
uaſi ſarcinam apud illos depone-
nt, quos & grauitas, & ætatis matu-
tas commendaret. Ex quo profectò
telligitur, Chriſti iugum eſſe ſuaue,
iquidem remota illa & inculta na-
o confeſſionibus vtebatur, certoſ-

*In oratione pro Quinto Ligario.*

que homines & delectos habeba
pud quos ſuæ turpitudinis quaſi
euomeret, quòd ſi id natura ducef
runt, apparet confeſſioné cum na
ipſa congruere, ſin ab aliquo Eua
lico doctore antiquiſſimis illis te
*Pſalm. 18.* ribus traditum eſt, (in omnem
terram exiuit ſonus eorum) ma
profectò confeſſioni conciliatur
thoritas, quæ ex tam multis Chri
nis inſtitutis longa temporis obli
ne ſepultis aliquam ſui imagin
conſeruauit. Fieri etiam po
hoc ſuperſtitio inuenerit authore
lo dæmone, quæ veræ religionis
tatricem ſe eſſe vult. Nam Eccle
anathemati ſimile illud eſt, quod
liæ antiquiſſimos illos ſacerdotes
ctitaſſe Cæſar ſcribit Commen
libro 6. Qui enim Sacerdotum
dicio non paruiſſet, carebat pub
carebat foro, eius omnes adi
& ſermonem fugiebant, nefas e
putabant lucem intueri eum, cu
*Vide quæ de hac Indorũ ſuperſtitio-* ſet ſacris interdictum. Siue ig
damus hoc illorum hominum in

m fuiſſe, ſiue opinamur ſuſceptæ o-
n fidei quaſdã eſſe reliquias, dubiũ
e non poteſt, quin confeſſionis ma-
a vis ſit, ſeq; vel ignotis, barbariſq;
minibus ſua ſalubritate commen-
. Qua in re Societati noſtræ non
tulari non poſſum, cui immortalis
Deus tam multos tamque præcla-
s huius artis donauit artifices. Nam
m multo plures illi ſint, qui pecca-
enumerent, quàm qui lamenten-
, quique errata percenſeant, quàm
i perpendant, dant operam noſtri
erdotes, vt & peccata quoad fieri
oteſt, omnia proferantur, & qui
e eſt confeſſus, etiam deploret. Cie-
fletus ipſius ſacerdotis querimo-
a ſolet, & amica conqueſtio, oppor-
næque lacrymæ. Quis enim ſupplex
on fleat ipſo flente, qui ſedet, & iu-
icat? Non enim moueri non poteſt
ui ſtratus iacet ad pedes, ſi ſe ſacer-
os ipſe commouit, itaque affici, im-
mutari, curari, vt vita anteacta diſpli-
eat, de rebus aliter ſentiat, atque
onſuerit, inq; nouam viam ſe ſe arbi-

*ne P. Ioſe-*
*phus Aco-*
*ſta ſcribit*
*libro 6. de*
*procurãdá*
*Indorum*
*ſalute c. 12.*

tretur ingreſſum. Equidem cùm pa-
tri illi Mauritio, quem bene noſti, ad-
leſcentulus Compluti vitæ flagitia
teſeci (ille enim omnium me pri-
ex Societate ſacerdos audiuit) tá-
mutatus, commotus, affectus, vt-
ua mihi lux orta eſſe videretur. Mau-
ritij ſpectrum ante oculos verſaba-
admonitiones in mentem venieb-
locus ipſe obſcurior, atque ſecreti-
hærebat in animo. Ex eo temp-
niſi Mauritios nactus eſſem, ſatis-
cere mihi ipſe non poteram, itaq;
cùm relicta Compluto Salmantic-
veniſſem, vt vtriusque iuris doct-
mis illis magiſtris operam darem,
dictoque iubileo Societatis domu-
peccata confeſſurus adiiſſem, in Ma-
tinum Guterrium oculos coniec-
rebus & fama nobilitatum, quem
cùm ſtudioſorum adoleſcentum c-
teruis circumcluſum viderem, et-
teuertendi diligentia citiùs me ex-
dire potuiſſem, tamen præuenien-
bus cedere malui; quàm locum al-
piùs occupare. Ergo dum contentio-

es, competitioneſque vito, quas tali
re parum eſſe decoras arbitrabar,
nnium poſtremus acceſſi. Me Marti-
us defatigatus & feſſus, bona iam no-
is parte decurſa neq; raptim, neque
uitus audiuit: eius ego interim cha-
tatem, patientiam, perſeuerantiam
ecũ tacitus admirabar. Morborum,
uos ego indicaui, remedia, quæ o-
édit, omnia reminiſcor, orationem,
ua mihi vt alia facerem, alia fuge-
em, perſuaſit, nulla vnquam ex ani-
no delebit obliuio. Fecit ſine dolore,
um pungendi cauſa non deeſſet, me-
icinam. Vinum & oleum vt Euan- *Lucæ 10.*
elicus ille Samarites, infudit in vul-
era, admonendi ſumma fuit graui-
as, & obiurgandi modus: acerbitatem
a temperauit, vt & languenti mihi
aluti eſſet, quem parum iuuabat
ratula, & manſuetudine obiurgandi
d medicinam ſæpius quærendam
acilis patere reditus poſſet. Nihil
nim animarum medici proficient,
iſi admodum laborent, vulneribus
remedia accommodent, verba ipſa ſu-

ſtentent, & quaſi inſtillent, quidcu-
que conducibile ſit, animaduertant,
taleſque ſe omnibus impertiant, vt
non è ſella quamprimùm ſurgere, ne-
que ipſi velle citò expedire, ſed op-
tulari & prodeſſe cupere videantur
his, quorum errata didicerunt. Nē-
me in hoc genere aut vulgare aut com-
mune delectat, ſed proprium, præci-
puum, ſuum cuiuſque, ſingulare. Iam
enim veterum quorundam Presby-
terorum ratio obſoleuit, qui omnes
omnium morbos vno & eodem mo-
do curabant, in quos Horatiana illa
cupreſſus inepti pictoris vnam figu-
ram & effigiem ad omnes caſus ac-
commodantis videtur conuenire.
Nimias in confeſſionibus audiendis
celeritates vel plebecula teſte damna-
mus, moroſitatem diligentiſſimè ca-
uendam eſſe cenſemus, nec enim ap-
parere vitium in illis debet, qui ſe mo-
rum correctores profitentur. Et vt a-
rium improbandum maximè eſt in
confeſſione faſtidium, ſic etiam ocu-
lorum & narium. Dicam libenter

*In arte poëtica.*

qua

æ de quodam noſtro noſter ſcribit landinus his verbis. *Sacerdos dum in ſcipiendis confeßionibus tenuißimo cuiq́; operam, tanta eſt diuinæ dulcedinis vtate completus, vt nunquam ſe meminet expertum eſſe maiorem. Voluit niminDominus in hoc homine declarare quãmiis Sacerdotibus delectetur, qui in eo cundo munere pannoſos homines, æquè diuites amplectuntur. Nam inter olens paganorum animas, pædoremq́; agreſtis nctus ſuauitatem quandam admirabilis cunditatis ſenſit: idq́; cùm in templo noſtro n ſemel, tum multò illuſtriùs in noſoconoquodam, cùm ægrum tractaret inſanadem, atq́; vlceribus deformatum, quò qui cederet propter intolerabilis odoris fœtatem erat nemo. Ad cum ille non ſine egregia horrẽtis naturæ victoria ingreſſus, bi agere cum ægro cœpit, & os ad os prous admouere, tantum abeſt, vt vllo amius perfunderetur horrore, vt omnes odorum ſuauitates admoueri ſibi ad nares pinaretur, eas verò intimis ſenſibus dulcedines hauriret, vt ab ægri complexu diuelli poſtea non poſſet.* Hæc Orlandinus

*In annuis literis prouincia Mediolanenſis, 1584.*

Ii 4 de il-

illo, qui viuit adhuc, cuius ob ea
cauſam prætermiſſum eſt nomen
Ego noſtrum illum Portum, qui in
fricam ex obedientia profectus e
captiuos redimendos, huic d
ſimillimum. Homines non for-
na ſolebat, ſed virtute diſtinguere
q́ue & ſeruis, & liberis p̃bebat æqua-
lem. Franciſcus Cordubenſis, qui S
manticenſem Academiã rexerat,
ſter factus antequam Presbyter eſſ
voluntate magis, quàm neceſſita
iumenta curabat, poſt ſacerdotiu
mendiculos, & baiulos libenter audi-
bat, eratq́ue magno huic & ſpecta
viro huiuſmodi homunculorum d
cis & grata confeſſio. Balthaſar D
in quos incidiſſet, eis author era
vt peccata primo quoque tempore
faterentur, nilq́ue ei moleſtius acci-
re poterat, quàm vt confeſſio re
raret. Nullum enim temporis p
ctum vacuum eſſe cupiebat. G
metius Luſitanus quo mortuus e
die confeſſiones excepit, cùm non r
petino morbo oppreſſus, ſed diu

no co-

…o conſumptus eſſet. Iacobus Caſtel…us vel ægrotãs & in lecto decumbens …eminem excluſit ex iis, qui peccata confeſſum acceſſiſſent. Federicus …anriquez quamuis eſſet infirmiſſi…a valetudine, ita tamen in excipi…ndis confeſſionum laboribus ſedulus …iit, vt ne firmiſſimis quidem, robu…iſſimiſq; concederet. Nec quiſquam …ubitat, quin eius interitu præclarum …irtutis & ſanctimoniæ exemplum interierit. Quid de illis loquar, qui quòd peſte laborantibus præſto fuiſ…ent, contagio perierunt? Iuliobrigæ, …urgis, Compoſtellæ, Cæſarauguſtæ, Olyſſipone, Mediolani, Genuæ, in Gallia, in Germania, in Sarmatia …æ charitatis impreſſa veſtigia no…tri homines reliquerunt. Quorum & …i corpora terra contexit, famam ta…men & nomen illuſtre ſepelire non potuit. Iam verò quæ & quanta illi perferant, atque ſuſtineant, qui ex noſtris domiciliis excurſiones in oppi…da faciunt, nulla explicabit oratio. Iulium Cæſarem laborioſiſſimè ius

*Suetonius in vitis vtriuſque.*

dicere ſolitum accepimus, Auguſtum hoc idem ita ſtudioſè factitabat, vt infirma eſſet valetudine, vel domicu- bans, vel lectica pro tribunali colloca- ta petentibus faceret ſatis, eratque Au- guſti iuncta perſeuerantiæ lenitas. Pli- nius iunior Traianum laudat, quod ita eſſet in tribunali aſſiduus, vt labore refici ac recreari videretur. Sed noſtri in excurſionibus ad pagos, & oppida maiora multo ſe præbent maiores. Sic enim in audiendis confeſſionibus & conſcientiæ cauſis ſtabiles, peren- neſq́ue ſunt, vt ſola vel Deo obtempe- randi cùm aut ſacrum faciendum eſt, aut horariæ preces recitandæ, vel na- turæ ſatisfaciendi neceſſitas, cum ci- ſomniq́ue capiendum aliquid eſt, ſa- cratum confeſſionũ munus interrum- pat. Nota illius noſtri captiui cha- ritas eſt, qui recepta libertate præpo- ſiti generalis conſiliarius, negociiſque diſtrictus feſtos dies confeſſionibus deſtinabat, neminemq́; ad ſe veni- entem repellebat. Eſt enim curan- darum animarum hoc munus noſtri

*In pane- gyrico.*

inſtituti

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtituti valde proprium, ad quod qui
opendent, & ita propendent, vt ne-
e ſpecie moueantur, neque labore
fatigétur, ſpiritu non carne ducun-
r. Quanti cõfeſſionis munus mi An-
ni facias, ipſe ſum teſtis, cui de artu-
s tam ſæpe laboranti tamen iucun-
s ille dies non eſt, quo non aliquis
ditus à te ſit, & adiutus. In quo eò
agis elaborandum nobis eſt, quòd
onnulli ſacrorum cùm ſimulatione,
m latebra animas, quibus ſaluti eſ-
e deberent, ſceleratiſſimè atque
ſidioſiſſimè perdiderunt. Qui ver-
o paſtores, re lupi voraces decepta-
m ouium miſerabilem ſtragem edi-
erunt. Sed ſi aliquis Clodius bonæ
eæ ſacra polluerit, tardiores non
os eſſe oportet, qui à religione, à pie-
te, à caſtitate ſtant, ſcio quoſdam
ſoluendi accepta poteſtate gloriari
lere; quòd à cõfeſſionibus & aures,
manus abſtineant, ne ſacramenti
olati cauſam aliquando dicere co- *Prouer. 26.*
tur. Quos pigerrimo illi duco
millimos, qui ſe domi continet,
& leo-

& leonis truculentiam excuſat vi-
obſidentis. Huius improbiſſima
ignauiam omnibus prope locis Sa-
monis prouerbia exagitant, accuſa
inſectantur. Nec eſt diſſimile qu
Euangelia nobis de illo nequiſſim
ſeruo commemorant, qui acceptu
Matt. 25. à patrefamilias talentum, cùm ap
argentarium lucri cauſa deponere
buiſſet, præ timore iacturæ ſeruau
intactum, cui quid factum ſit, horri
le dictu eſt. Ergo confeſſionibus
dulam nauemus operam, non enim
in illis opertis nunquam fuiſſe, ſed i
in munere caſtè integreq́; verſari la
dandum eſt. Itaq́; Hieronymus in il
ad Aſellam epiſtola, qua obtrectato-
bus reſpondet: *Saluta*, inquit, *Pau*
*& Euſtochium velit nolit mundus, in Chri-*
*ſto meas, ſaluta matrem Albinam, ſo-*
*remq́; Marcellam, Marcellinam quoque*
*& ſanctam Felicitatem, & dic eis ante tri-*
*bunal Chriſti ſimul ſtabimus, ibi appare*
*qua mente quis vixerit.* Hæc Hierony-
mus. Nos igitur tanti viri perſeuere-
mus exemplo, demuſque operam
ſan-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nctiſſimo huic muneri ſuum priſti-
um decus fides noſtra, integritaſque
liqua ex parte reſtituat, & Samuelis
os ſimiles præbeamus, qui ſacerdo- *1.Reg.2.*
um honorauit, cuius erat ab Heli im-
robiſſimiſque liberis afflicta digni-
s & religio violata: vt enim de aua-
itia & rapacitate nil dicam, eò iuue-
um progreſſa libido eſt, vt vel eas
œminas vexarent, quæ ad oſtium ta-
ernaculi vigilabant. Nos igitur non
liter geramus, atque ſi mulierum fa-
mam omnium oculis lux clara cuſto-
diret. Appareat honeſta nobis, non
occulta quæri, quod ignorari à Chri-
ſtianis, cùm iis etiam Philoſophis, qui
veræ & ſolidæ felicitatis vix vmbram
viderunt, notiſſimum, decantatiſſi-
mumq; fuerit, turpe ſimul & exitio-
ſum eſt. Sed vt noſtris hominibus cal-
aria admoueamus, libet ex literis an-
nuis collegij Treuirenſis hæc de-
promere quæ ſequun-
tur.

HISTO-

## HISTORIA MIRABILIS IN laudem confeſſionis.

SACRAMENTORVM *myſteria*
*non minore celebrantur hominum*
*conuentu, quàm fructu, vnum il-*
*ſum nõ faciam, quod ad cõmendationem ſa-*
*cræ confeſſionis plurimũ valet. Nullis enim*
*telis humani generis hoſtis ita configitur, vt*
*accuſandis apud Sacerdotẽ, prodendiſque pec-*
*catis. Vir erat pietatis ſtudiis in primis dedi-*
*tus, qui & Sacramenta capiebat aſſiduè, &*
*lectitabat libros de pietate conſcriptos, &*
*veſtem cilicinam ad reprimendam cõtuma-*
*ciam corporis induebat, & exemplar deniq;*
*propoſitum erat ad imitandum. Hic igitur*
*dum in eo totus eſt, vt à ſuſceptis maculis ac-*
*curata ſe confeſſione perpurget, non tulit*
*callidus, & inuidiæ plenus inſidiator. Per-*
*ſona viri grauis inducta hortatur hominem,*
*vt mentem illam aut in aliud tempus re-*
*iiciat, aut omnino deponat, & in alias ter-*
*ras, vbi viuat hilariùs (ciuitates dicebat*
*hæreticas) demigret, neque Ieſuitis ita ſe*
*credat, vt ab eis diuelli non poſsit. Eos eſſe*
*homines callidiſsimos, qui perniciem ac la-*

quęos

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

neos adumbrata quadam religione præ-
xant. Non fuit difficile verſutiſsimo
atori ea perſuadere homini ſimplici, quæ
m artificioſè aſtuteq; compoſuit. Im-
lit hominem, vt non modo tam ſaluta-
animi expiandi conſilium abiiceret, ſed
iam vt & libros, qui pietatem accende-
ent, & veſtes cilicinas, quæ nuda membra
mprimerent, concremaret. Deſudandum
atri noſtro fuit, qui à confeſsionibus ei
at, vt hominem inductum in fraudem de
rrore deduceret. Illuſtrauit inſignis vete-
atoris fraudem, qui perſonas non modò ar-
pit humanas, vt fucum animis faciat, ſed
terdum etiam Angelicas: patefecit dolos
artes, quibus capere optimum quemque
olitus ſit, erudiit imbellem, & confirmauit
d pugnam: vt ſi denuò eſſet cum hoſte pu-
nandum, hoſtiles impetus, & conatus elu-
eret. Non fuerunt ab re, neq; alieno tem-
ore adhibita magiſtri præcepta. Redit men-
acij pater ementitus iterum formam, &
uoniam diſcipulum alienis conſiliis ſen-
it abductum, elaborat quantum poteſt, vt
i minùs confeſsionis Sacramentum obire
olit, certè ne tam frequenter obeat. Rem
dam-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*damnare vt ſuperuacaneam inſtituit, mi*
*meq́ neceſſariam, nec parua docet caren*
*culpa defletas ſemel culpas deplorare*
*rum, & quaſi diuinæ miſericordiæ diffid*
*confeſſionum lacrymas renouare. Sed*
*ea re tyro paulò iam ad certamen eſſet*
*ſtructior, facileq́ ſentiret laqueos ſibi*
*inſidias ab hoſte prætendi, alias hoſtis*
*hibet artes, alias admouet machinas ad*
*pugnandum. Nihil tale diſſuadet*
*pliùs, concedit illi tam ſalutare præſidium*
*quo cum Deo reditur in gratiam, con*
*tamen efficere, vt ad eam rem Ieſuitarum*
*opera non vtatur, nec enim alibi alios ſa-*
*cerdotes deeſſe & quidem eruditos & p*
*bos, apud quos peccata ponantur. Cum*
*ne hæc quidem artificia procederent,*
*tuit hominem non ex inſidiis ac cunic*
*oppugnare, ſed petere apertè, ac perſo*
*poſita. Variis eum terroribus, ac viſis c*
*gitat, iniuriis onerat, minas intentat, &*
*ab omni ſalutis ſpe, fiduciaq́ deiiciat, co*
*feſſiones præteritas exprobrat, eaſq́ ad*
*niam negat quicquam habere momẽti p*
*cata etiam, quæ illi exciderant, obiicit,*
*tiſſimoſq́ denuntiat apud inferos cruciat*
*deniq́*

*-ſig, nihil miſſum facit, quo hominem in ...mam deſperationem adducat. Verùm ... magis eos hoſtis noſter oppugnat, quos ...horum numerum Deus adlegit, eò magis ...tit ſuos conatus ac labores ad nihilum ca-...re. Nondum enim expugnare potuit, ...em multos iam menſes oppugnat. Vim in-...lit eius vitæ, obtortaq́ue gula ceruices cona-...eſt frangere. Ita vt is complures dies ...llam in partem caput flectere, ac torque-... poſſet. Obiicit ei ſeſe etiamnum ad terro-...m ſingulis hebdomadis ſæpius, quanquam ...es iam mittit nullas tot victoriis debili-...tus & fractus, ſperaturq́ue, quoniam & ter-...res quoque diminuti ſunt, fore vt acerri-...s fidei telis conficiatur, & concidat.*

---

## EIDEM,

*De congreſſu cum externis.*

QVI in Societate viuunt, ita negocia, temporaq́; diſpertiunt, vt & ſibi ipſi proſint, & aliis ...pitulentur non inuiti. In die enim ...rates ille regius cecinit) mandauit ſi-... Dominus miſericordiam, & nocte *Pſalm. 41.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

canticum eius. Nam ſole lucente mi-
ſericordes & officioſi hominibus eſſe
debemus, nocturno vero tempore
Deo laudes & animo, ſunt & voce can-
tandæ, atque illa ſupplenda, quæ in
die auocantibus negotiis præſtare
non licuit. Atque hoc ſancto Fran- *In vita S. Franciſci.*
ciſco ſolenne fuiſſe, vt diem homini-
bus, noctem Deo daret, diuus Bona-
uentura teſtatur. Et quia ſoluta eſt
lege neceſſitas, nocte etiam intempe-
ſta ſurgimus, vt vel animam agenti-
bus, vel vrgente morbo peccata con-
fiteri volentibus præſto ſimus. Non *Philip. 3.*
enim Tullio teſte, vt ſacrificij, ſic con-
ſilij certum eſt tempus. Et quidem
cum ipſis hominibus verſari vtiliter
non poterimus, niſi nobis etiam vti-
ſimus, id eſt, Deo Opt. Max. pietatem
religionemq́ue præſtemus, noſtrum
autem receſſum præpotenti illi Deo
minimè probabimus, ſi hominum
pias cauſas deſeramus. Quare ita nos
geramus, vt in negotio pij, & in otio
vtiles & fructuoſi eſſe poſſimus. Dies
enim vel hora potiùs, niſi prouide-
mus,

*Miſceri turbis, & ſecedere ad ſecretum & vtrumque agere cum menſura, vt in altero cum hominibus, in altero Deo coniungan-*

ius, & hæc duo, quæ videntur eſſe contraria, prudenter ſociamus atque coniungimus, magnas clades afferet vel religionis violatæ, vel hominum ſocietatis deſtitutæ. Qualem te in alloquendis, adeundis, tractandiſque hominibus præbeas, illud argumento eſt, quòd ij, quibus cum verſaris, atq; agis, tua fiunt conſuetudine meliores, & tu ab illorum congreſſu maior redire conſueſti. Id quod de Hercule apud Senecam narrat Amphitrion. Et nimirum hanc habet obedientia vim, vt omnia fortunet. Itaque eidem Herculi omnia bene vertiſſe Poëtæ fingebant, quæ ab Euriſtheo rege eſſent imperata. Quid enim illi accidat aduerſi, qui in huiuſmodi colloquiis Dei Opt. Max. laudem ſibi proponat & gloriam, iniuſſus pedem porta non efferat, viros primarios, honeſtaſque matronas neceſſitate magis, quàm voluntate conueniat? Multis quidem ſtudium humani generis adiuuandi non deeſt, quod vnum ſine prudentia non prodeſt, non illa quidem

*tur. Cōmunem vitam ſine cōmunibus vicis agentes, ſecretam vero non abſque cōmuni ducentes fraternitatis affectu. Hæc his verbis Gregor. Nazianz. in oratio. 1. de pace.*

*In Hercule furen.*

humana, cuius infirmæ ſunt vires, ſ
cœleſti & diuina, quam adhibent, q
rerum inuentori ac principi Deo n
tos ſe regendos cōmiſerunt, quiq;
omnia ex diuino conſilio & volun
te gerant, preces ſupplices adhibe
in ſanctæ contemplationis ocio qu
diutiſſimè commorantur, eorum, q
præſunt, nutum obſeruant, dumq;
ctoribus humanis obtemperant, in
mortali Deo ſe obedire arbitrantu
Non enim ſi noſtra familia ſalutare
ſe eſſe, peropportunamq́; hominib
profitetur, ſi ita res ſuas comparat, v
Deum ſanctè & auguſtè veneretur,
cum hominibus colloquatur, ſe ab
certis, ſtatiſque temporibus, & cu
*Luca 6.* Chriſto aſcendat in montem, vt di
na conſideret: rurſus cum eodem d
ſcendat ex alto, & in camporum pl
nitie conſiſtat, vbi eſt multitudo ma
gna languentium: continuò licea
exire cuiq;, & ſui copiam hominib
facere, humanæq́; naturæ conſortes &
ſocios pro virili parte tutari. Itaq; So
cietas quem deligat, etiam atq; etiam
vide,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

idet, & cui proximorum, vt vocant,
rouinciam mandet, attentè, vigilan-
terq; conſiderat, nec tam de operario-
um numero eſt, quàm de virtute ſol-
cita. Quos autem ſtrenuè bellare
idet, & Dauidis exemplo cum Phili-
æis acriter decertare, eis Abigailis *1. Reg. 25.*
erbis noſtra mater applaudit, &
uòd Dei prælia fortiter, feliciterque
onficiant, gratulatur. Nam cùm
ecnoſtrorum hominum, noſtrique
iſtituti charitas, quę alienos ad vſus
anum quotidie porrigit, aut fructu-
ſæ colloquutionis ſit, aut publicę La-
næ interpretationis, aut diui Thomę
arrationis, aut ſcripturæ expoſitio-
s, aut ſacræ confeſſionis, aut concio-
s & catechiſmi Chriſtiani, qui excel-
t in omnibus, eum vt de cœlo dela-
um intueri debemus, qui vel vnum
ommodè præſtet, hunc non minimi
ciendũ puto. Sed de concionandi
tione, deq; latina inſtitutione ſpar-
m ad multos, de ſacræ ſcripturæ in-
rpretatione ad Riberam meum, de
onfeſſione nuper ad te ſcripſimus,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de diuo Thoma & ſectando & expli-
cando ad illum propediem ſcribam,
quem multis nominibus habeo cha-
riſſimum, nunc de vſu & conſuetudi-
ne cum hominibus pauca dicamus,
illoſq́; laudibus ornemus, quos etiam di-
uinarum rerum commentatio, do-
ctrinarumq́; cognitio delectat, mini-
mè tamen ab illis agendis abhorrent,
quę noſtri inſtituti valde ſunt propria,
neque ſibi tantùm, verùm & amicis &
patriæ, omnibuſq; natos ſe eſſe exiſti-
mant. Ex quo etiam ſequitur, vt ſuis
vel ſtudiis, vel ſolatiis, vel commodis
aliorum ſalutem anteponant. Præſti-
terunt in hoc adiuuandorum homi-
num munere primi illi Societatis pa-
tres, quorummo rs quædam immor-
talitas mihi fuiſſe videtur, nec enim
quorundam ex illis immaturo obitu
dolemus, quin eorum rectè facta, gra-
uiter dicta ante oculos ponamus, &
crebris ſermonibus vſurpemus. Ho-
minum amicitias, quas Deo non eſſe
ingratas atque inuiſas ſperarent, ſtu-
dioſè coluerunt, viroſque & copiis &
digni-

dignitate facilè primos, & ex infimo
ordine adire & alloqui conſuerunt:
non vt eos ſibi cōciliarent: ſed vt Chri-
ſto aggregarent, cuius vtriq; ſanguine
redempti eſſent. Quæ qui ſpectant,
infelices eſſe non poſſunt, quòd ille,
cuius in nomine rete laxatur, ac ten-
ditur, piſcatores ſuos quamcunque ſe
in partem conuertant, fauore & auxi-
lio proſequatur. Qui enim Ignatij fi-
lij ſunt, non ocij conſumendi cauſa
cum hominibus familiares ſermones
conferunt, neque vt rem ſuam agant,
ædes obeunt locupletum. Inſinuant
ſe illi quidem in quorundam familia-
ritatem & amicitiam, ſuntque initio
blandiores, ſed quos artificio perten-
tant, eorum vicia curare ſtudent.
Quędam diſſuunt, potiùs quàm diſ-
ſcindunt, atque diſrumpunt veriti ne
ſi in iis corrigendis, qui vel multum
poſſunt, vel pertinaciter abnuunt,
adhibeatur vis, ignem, quod Py-
thagoras vetabat, gladio exciuiſſe
videantur, quem ſi ferro commo-
ueris, accendas magis, quàm reſtin-

guas, vel fluuiorum vim impetumq́
*In Metam.* coërceant, qui, vt bene Ouidius, c
runt ab obiice fortiores. Quare Ig
tius, quos amicè, prudenterq́; ſibi a
iunxiſſet, ab eis quæcunque vellet, i
petrabat. Eius diſcipulus & imi
*Petrus Ribadeneira Vita P. Ignatij lib. 4. cap. 7.* tor Franciſcus Xauierus octo conc
binas ac pellices non per vim, ſed qu
ſi molli brachio, paulatimq́; ac ſenſim
neq; ſimul omnes, ſed alias alio tem-
pore mulieroſo cuidam, quē ſibi pri
amicitia deuinxerat, detraxiſſe me
moratur. Et quidem cum extern
congreſſio ſapientē hominem requi-
rit & ſanctum. Sapientem, vt ſere
ſciat tāquam ſolers agricola, ſanctum,
vt ſperet, perſeueret, patiatur, & per-
ferat, ſpeiq́;, & conſtantię, ac patienti
fructum capiat. Non enim ſi contra
voluntatē, opinionemq́; res accid
aut admirabimur, aut animo concide-
mus, quippe cùm difficillima virt
hominūq́; in vicia appetitus inclinet,
multi quibus diligētiſſimè, amantiſſi-
mèq́; præceperis, conſiliaque verè pa-
terna dederis, aut turpiter viuent, aut
colent

lent virtutem oſcitanter. Nam filio-
m, quos Chriſtiana hæc diſciplina
riſto paritur, & quos naturalis ipſa
ocreatio generat, ſimilitudo quam
axima eſt. Vt enim liberi illi, quos
vtero mater effudit, non omnes vi-
vſura perfruuntur, ſed alius alio ca-
interit, multiſque parentibus eue-
re ſolet quod Priamo, quem tanta
ogenie orbatum hoſtilis manus in-
temit, ita ex tam multis, quos virtu-
s illecebris ad verum decus trahere
pimus, & quaſi ex aluo recẽtes edu-
mus, qui ita ſe gerant, vt pro eis tan-
am parturire deſinamus, perpauci
merantur. Cuius rei duas eſſe po-
ſſimùm cauſas reperio, quarum al-
ra ſeueritatis eſt, clementiæ, & leni-
tis altera. Deumq; in vna eademq́;
& ſummè miſericordem, & ſummè
ſtum experimur. Dei enim æter-
am immutabilemq́ue iuſtitiam eius,
i à virtute deſciuit, oſtendit impro-
tas. Nam qui cœleſtibus donis ac
uneribus cumulati in virtute lan-
uent, nec pro eo ac de illis meritus



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſt Deus, in ſanctitatis curſu pergu
ab immortali Deo iuſtiſſima vltio
puniuntur : ipſaque vitæ deform
pro ſupplicio eſt : ſed hic ignauor
ingratorumque lapſus diuinæ cu
eſt clementiæ, ac bonitatis argum
tum. Dum enim ſocordiæ dat p
nas, qui admonitus, adiutuſque n
feruet, (pænas hîc voco inquina
vitam, ſuperiori valde ſimilem, &
quæ quondam vomuerat, more ca
reguſtantem.) eius ipſius, qui adm
nuit, ſeque in cœlum ducem præb
ſtabilita ſalus confirmatur. Ille c
filiorum caſus facit, vt ſemel p
agnoſcat, demittat, abiiciat, ſanct
opinionem minuat, circumſpic
omnia, pendeat totus ex Deo:
*Iob 1.* cum Iob, & cùm dedit, & cùm abſt
lit, agendæ ſunt gratiæ. Ita fit vt al
rum vulneribus ſanentur alij, e
maximum diuini amoris indicium
vt vel quorundam interitu ſaluos
nos velit. Vt enim occiſione pec
dum aluntur homines, ita eorum ex
tinctione, qui Angelico pane reie

quo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uem eis amanter porreximus, beſti-um more voluptati corporis ſerui-nt, patientia noſtra concreſcit: ſi e-m Deum verè diligimus, Dei iniu-as pro noſtris habere debemus, quas rre tolerantię munus eſt, lugere cha-tatis, perfecta autem virtus in huiuſ-odi rerum aſperitatibus cernitur. Quáobrem, mi Antoni, ſalutares ho-inibus ſimus, totoſq́ue neruos in re mnium maxima contendamus: cum oc tamen, vt voluntas Dei vna quæ-tur: neque rem metiamur euentu, ed conſilio, genereq́ue ipſo: fructu, uicunq; ille erit, delectemur, cõten-iq; ſimus: operã & baiulis nauemus, regibus, & quod in vtriſq; adiuuan-tis Deũ nobis propoſuerimus (ſi for-e propoſuimus) lætitia perfunda-mur. Igitur qui allicere plurimos vo-ent, eorum prima hæc admonitio ſit, Dei Opt. Max. opus vt curent, & ſer-uatoris Chriſti negotium gerant, non ium. Nam quia congregabiles na-ura ſumus, vereri debemus, ne con-greſſionis, & colloquij ſuauitate duca-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ducamur: quia ſplendorem, maie-
temq́; miramur, cauere oportet, n
lorum, ad quos adimus, ſpecie &
gnitate moueamur. Tunc enim
les ſumus, cùm religioſo more
gredimur, id eſt, animo in cœlum
piciente, cellam interdum reſpect
te, ex qua neque ſponte egredi, ne
vbi egreſſi fuerimus, quæ facere
amur, negligenter exequi decet. S
mo noſter ſit grauis, & ſerius, & c
excludens, qui religioſis auribus
atur indignus: minimè tamé aut pe-
tinax, aut inſulſus, aut immenſus: c
q́ue & incipiendi cauſa, & modus
ſinendi. Maxime autem concilia
homines beneuolentia & comita
Lugentibus vel luctus, vel certè
dendus eſt mœror. Flere enim cu

*Ad Ro. 12.* flentibus & iubet Apoſtolus, & ipſa
iam cogit humanitas. Tempeſtiu
dentibus arridere non dedecet,
enim diſcrepantiæ autores eſſe debe-
mus, & officij communis leges igno-
rare. Aulicas illas ſalutationes, in qui-
bus Hiſpanienſis vel faſtus, vel fuc

apparet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

paret, remouendas cenſeo, adhi-nda tamẽ eſt beneuola & comis ap-llatio, qua Hiſpani noſtri mirificè piuntur. Licuit antiquis noſtris pa-bus in hoc genere eſſe negligenti-s, quam licentiam haud ſcio an qui rum virtutes æquauerint, his mori-s atque temporibus ſibi poſſint ar-gare. Videbantur quibuſdam ſe-riores, ſed erant erga ſui ſimiles, id erga bonos viros leniſſimi, nugari que ipſi poterant, neque illos ferre, ad iſtam artem eſſent eruditi: na-ræ vicia, quæ homines ægrè corri-nt, illi, inquã, homines, qui ad per-ctionis arcem non confugerunt, ne-e religionis montes tenent, ſed in mporum æquoribus cõmorantur, ndonare debemus, vt quæ animum quinant, faciliùs corrigamus. No-s enim noſtra Societas veri amici rſonam imponit, cuius eſt diſſimu-re, quæ leuia ſunt, de magnis exitio-s, & grauibus laborare. Cùm tamen ulator (vti bene Plutarchus) vt ſe dmonitione ipſa commendet, quam videt

*In libro de diſcrimi. veri amici & adulatoris.*

videt in amicitia primas tenere p
tes, minuta quædam reprehend
quorum obiurgationem gratam
*Lib. 1. epiſtol. 1.* cenſet: cuius generis illa ſunt, quæ
nuſtè dicit Horatius.

*Si curtatus inæquali tonſore capillos.*

Et cætera, quæ perſequitur elegan
Hanc exitioſã peruerſitaté diuus I
*In oratione contra eos, qui criminantur exordiorum longitudinem.* annes Chryſoſtomus his verbis repre-
hendit, *nunc autem ſiquidem videmus hominem tunicam habentem à latere disiunctam, vel aliam aliquam veſtem concinniùs aptatam componimus, & admonemus, ſi autem videamus ipſius vitam diſſolutam, ne verbum quidem facimus.* Non
enim ſanctus hic doctor adduci pote-
rat, vt ad voluntatem loqueretur,
aſſentantium mos eſt, quos videas l
uia quædam inſectari, vt veri aman-
res videantur, quæ verò grauia ſun
quæ pernitioſa, quæ intoleranda
tacere, vel approbare. Sed eſſe cau-
tio debet in rebus, nilque temere,
poſtereque tentandum. Quem enim
non confeſſione, ſed conſuetudine
ipſa curamus, eum artificio lenire

poſ

ſt medendi officio ſanare debemus.
i ſenes non ſunt, ſe multò præbe-
cautiores. Illis dat ætas licentiam
iorem, etſi quædam ſenilia dies
tiquauit. Qui enim priſco more
nc viueret, & quæ ſunt in vſu ſer-
onis omnia blandimenta reſpueret,
conglutinandas voluntates aptus
raſſe non eſſet: quæ enim viri ſan-
itatis, & ſapientiæ gloria præſtan-
s ad conciliandos homines adhi-
nt, reiici non poſſunt, niſi ab eo,
humanitatem exuit, quique ho-
o hominum res ad ſe non arbitra-
r pertinere. Magna res eſt, & præ-
ara ſalus animorum, quam vt adipi-
amur, periclitanda ſunt multa.
am ſi ab iis refugimus, quæ tetra non
nt, & eſt cauſa, neceſſitaſque dicen-
, maioribus minora præferimus, of-
ciaq; peruertimus. Ludouicus ille
us, qui in Societaté cooptatus eſt ſe-
x, ex cuius militis olim ſtrenui, pòſt
eligioſiſſimi ſacerdotis ore melle dul-
or fluebat oratio, comitaté maximè
coluit,

coluit, & quò de Deo loquens à cl
hominibuss libentiùs & ſtudioſiùs
diretur, ſalutationes vrbaniſſimas
hibebat, leniſſimiſque exordiis vt
tur. Illaq́;, cuius memoriam me
ac iure colimus, IESV Tereſſa,
dem Ludouici ciuis, & ſacrarum v
num mater illarum, quæ Carmeli
gulã ſequutę nudis pedibus incedu
manuũ ea oſcula minimè exhorr
quæ honoris cauſa aulici homines
ter ſe ſalutantes non re, ſed verbo
fitentur. Sed qualia hæc ſint, fin
ſtendit, ex ipſoq́ue euentu rectiſſim
iudicamus. Nam ſi eos, quos alloq
mur, vel facimus, vel certè facere v
lumus meliores, quòd artes aliun
quæſiuerimus, digni profectò erim
qui non modò veniam, ſed etiam b
neuolentiam aſſequamur. Hinc
Vlyſſis laus apud Poëtas, quem pe
bent ancillarum, & ſeruorum con
melias perpeti cõſueſſe, vt ad id, q
concupierat, tandem aliquando pe
ueniret. Illi quia præclarum eſſe d
cebant in patriam redire, procos

ciui;

ci, cum vxore fideliſſima, & pudi-
ſſima (& ſi hoc de Penelope alius
modo tradit) cum chariſſimo fi-
, quod vitæ tempus ſupereſſet, tra-
cere, & in ſenectute à laboribus, &
cellis conquieſcere, prudentem
virum eſſe cenſebant, qui vt hæc
qui poſſet, caſus, in quibus ſe for-
na exercuiſſet, ferret ſapienter, tem-
ri cederet, neceſſitatique ſeruiret:
, quibus animorum æternitas co-
ita, perſpectaq; eſt, cœleſtiſq; vitæ
diis & oblectamentis nil eſſe feli-
s fide magiſtra, & præceptrice cre-
nus, pro illius hominis incolumi-
vota facere, & nuncupare debe-
, qui vt hominibus ſaluti eſſe poſ-
nullum laborem recuſat, nullamq;
rtendi peccati rationē prætermit-
. Qui verò ita ſe in adeundis homi-
bus, atq; in affando gerunt, vt egre-
coloris nihil imprimāt, nihil om-
no emendent, & corrigant, non
odò notari à noſtris, ſed etiam ab iis
ſis rideri ſolent, apud quos tam mul-
dici horas garriendo, & ludendo

 conſu-

N.V



conſumunt. Equidem memini à v
quodam grauiſſimo me audiſſe, c
diceret: multos ſe longè viſos & ad
rari, & amare ſolere, ſed vbi prop
acceſſerit, mutare ſententiam: na
cùm familiarior eſſe incipiat, eoſ
partim excordes, partim diſco
eſſe animaduertat, & opinio mi
tur, & amor relangueſcit. Quod
nobis accidat, vereri neceſſe eſt, c
diligentiùs cauere, quò externis o
pius oſtendimus, adituſque facili
habemus. Nunquam enim deſpic
biles erimus, neque noſtra affabil
contemnetur, ſi ex Societatis c
præſcripto, tum dignitate cunct
ciemus. Noſque Ignatij veſtigiis
greſſos, noſtri ducis mores tene
ad finem, & perpetuò ſeruantes m
titudo ſuſpiciet, nobilitas obſeru
neque ita vindemia confici noſtra p
terit, quin racemos quotidie collig
mus. Sin autem (quod ſummus
prohibeat Deus) & in vita, & in ſermo-
ne laxiores eſſe cœperimus, & Dei v
bum, contra atque præceptum à d
Paul

ulo eſt, nobiſcum habitare deſierit, *Ad Col. 3.*
bimus meritas pœnas, noſtrique
unt tortores illi ipſi, quorum ſtulti
elinitores fuerimus. Balthaſaris Al-
ri ſingulæ voces ſingulæ victoriæ
erunt, ex noſtris ad veram pieta-
m, & diuinarum rerum contempla-
onem multos erudiuit, ſanauit non
ucos ex externis, viros genere, au-
oritate, opibuſque præſtantes cœle-
um ſecretorum commentatione
rpoliuit. non enim, vt bene Plu-
rchus, principum virorum fugien-
conſuetudo eſt, ſed expetenda po-
is, & adhibito ſtudio quærenda,
ulto namque fructuoſior humano *In Cõmentariolo de Philoſophi cum principibus cõſuetudine.*
neri Societas erit, ſi & præceptis &
rtutis exemplo vnum aliquem ex
, qui dominantur, ac præſunt, qui-
ue in ciuitate principem locum ob-
ent, reddat meliorem, quàm ſi
ſimæ conditionis hominẽ inſtruat.
am medicus, vt idem Plutarchus *Ibidem.*
, in oculo, qui lumen totius cor-
oris eſt, quàm in pede curando mul-
oſe ſtudioſiorem præbet. Et vt hic

*Ibidem.* idem Plutarchus ſapienter affirma
homo verè Philoſophus in paran
ac conciliandis amicis nō diuitias
ctat aut gloriam, neque tamen ſi in
derit in aliquem potentem, ac p
nioſum, qui ad virtutem colend
aptus eſſe videatur, & cuius ſint m
res amabiles, ipſius conſuetudin
propterea refugit, quòd diuitiis & p
tentia præſtet. Qui enim tam pr
cipis, cuius admonitor eſt, quàm
rum, qui principis exemplo comm
ti victuri benè ſunt, ſalutem ſpect
& morum probitatem, vereri non
bet, ne aulicus & aſſentator appell
tur. In conſolatione, in ſedandis co
trouerſiis, in loquutione de Deo n
ſtrorum opera nemini poteſt eſſe
ſpecta. Nam cùm lugendi tam mu
tæ ſint cauſæ, multi ex optimatib
non modò plebeiis, multæq; illuſt
fœminæ à noſtris hominibus ægri-
dinis leuationem petere ſolent, neq
nos noſtra Societas aut pigros in ſcri-
bēdo, ſi ad abſentes cōſolatoriæ dand
ſint literæ, aut tardos in veniendo e

vale

ilt, ſicubi noſtra neceſſaria videatur
ſe præſentia. Illud Societas noſtra
n ſuſcipit, vt teſtamentum alicuius
equatur, vt familiam regat alienam,
veſtitum, coloremq́ue præſcribat,
negotiis planè profanis implicetur.
m enim ab his muneribus abhor-
re debemus, quàm illa amare, quæ
oſtri inſtituti ſunt propria. Marti-
us Guterrius, cuius deſertum ſepul-
um eſt in hæreticorum terris mor-
, & celebre in noſtrorum pectori-
s monumentum, in adducendis ad
riſtum hominibus maximè excel-
t: illi concio authoritati, honoriq́;
at, accedebat tacitũ quoddam men-
s augurium, quo qualis quiſque fu-
rus eſſet eorum, quos adibat, præ-
ntire videbatur. Quæ ex ſacris lite-
s, ſanctiſq́; doctoribus didiciſſet (di-
cerat autem, cognoratq́ue permul-
) ad facilitatem omnia referebat,
que malebat minis perterrefacere,
ıam ad virtutem orationis pondere,
grauitate pertrahere. Non erat
e quidẽ aſſentator & blandus, neq;

tamen inſuauis. Negare niſi quæ co-
cedi non poſſent, minime ſolebat,
cri nulla omnino cupiditas, augen-
Societatis filiorum numero bonoru
ſummo flagrabat ſtudio. Gutter
mortem lamentari non libet, quæ
hæreticis Hugonotis triumphau
quorum non tam ſupplex, quàm c-
ptiuus fuit, iiſque admirantibus an-
mum Deo reddidit. Nam ſi Soci-
tatis huic militiæ idcirco nomen d-
mus', vt mortem glorioſam ante-
ramus vitæ, magis eſt, vt lætem
quàm vt doleamus oblatam alicui e
noſtris eſſe occaſionem honeſtè m-
riendi. Balthaſarem & Martinum
nemo diligebat, quin Societatis v
amator eſſet, vel fieret, neque enim
intus illi canebāt, eaſúe amicitias pro-
babant, quæ verterentur in ſeipſ
Afficiebatur ſummo honore doct
ille, quem noſti, quòd eum non ſolùm
colebant, qui diuinum aliquid perci-
pere, aut audire ſtudebant, verùm
etiam, ſi qui fortè ſimulabant: mul
quòd illius opera indigerent, domum
frequen-

equentabant, ſic affectos, atque hæc
imilia ſpectantes homo aureus de
quaſi colorare non potuit. Socie-
tis quidem, ſi non poſſeſſiones &
ædia, at opinionem, & nomen am-
ificauit, ſuos à præpotentium impe-
& furore defendit, vtque naſcenti
ocietati nullus perniciem machina-
tur Herodes, quantum potuit, labo-
uit. Plurimi noſtros adeunt ſua
agis, quàm quæ ſunt IESV Chriſti
quærentes, quos mater hæc benigna
n reiicit, ſed quaſi ex diuerticulo
d ſemitam reuocare conatur. Qui
e nobis bene meriti ſunt, iis operam
noſtram denegare non decet, Heli-
ſæus enim vel ſponte pro Sunamitide *4. Reg. c. 4.*
deprecatorem ſe fore apud regem, &
militiæ principem promittebat. Sed
qui vno aut altero per nos optato im-
petrato, poſtque primos, ſecundoſq́;
congreſſus temporum adhuc vide-
buntur amici, non hominum, humiq́;
ſtrati cœlum non ſuſpicient, aut ab illa
animi prauitate ad rectam erunt ſen-
tentiam deducendi, aut à noſtris

colloquiis omnino dimittendi. D
tur tamen opera, vt inimici non ſi
qui amici eſſe neſciuerint. Et qu
niam ſalubris admonitionis nota v
ræ amicitiæ à falſis diſtinguuntur,
hominibus admonendis, atque ad
hortandis pauca quædam Plutarch
authore præcipiam, non quidem
interpres, ſed vti mos mihi eſt, ex h
ius magni Philoſophi fontibus m
arbitratu quantum, quoq; modo
debitur, hauriam.

*In libro de diſcrimine adulatoris & amici.*

Primùm admonitio & grauis, & li-
bera ſit: enim vero amicus ita oratio-
nem condiat, & verba perpendat, ac
etiam præcidat, vt neq; aciem nimia
luce pręſtringuat, neque acerbitate
deterreat, & dolore perpungat. E
cùm plures tanquam peſtes liberæ ad-
monitioni comitentur, cauendus in
primis eſt noſtri amor immoderatus,
& vindictæ, atque vltionis fugienda
ſuſpicio. Non enim ij eſſe debemus,
qui accuſandis amicis noſtrum dolo-
rem vlciſcamur. Ille enim, quo læſi &
offenſi amicum liberiùs arguimus,
no

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non ex beneuolentia & charitate, ſed ex ira atque ſtomacho profectus eſt ſermo. Nam inter admonitionem, & expoſtulationem hoc maxime intereſt, quòd illa amicorũ, hęc hominis eſt ſeipſum adamantis. Non enim qui acerb⁹ cùm debet, ſed qui eſt cùm non debet, auſterus, conflat inuidiam, vt Hyperides dixit orator. Obiurgatio contumelia vacare debet, irriſione, dicacitate, & iocis ineptis. Nam reprehenſio, quę aut mordet, aut illudit, ſemper inutilis eſt, pernitioſa nõnunquam: itaque liberioris ioci pœnas morte dedit Antiphõ, inſtituta enim apud Dionyſium quæſtione, quod eſſet æs optimum, illud, inquit, ex quo Harmodij & Ariſtogitonis ſtatuas fecere Athenienſes: laceſſituſq; Dionyſius dictum morte puniuit. Res tamen aduerſæ ac turbidæ conſolationem magis, quàm obiurgationem deſiderant. Sit enim inhumanus, qui alieno tempore obiurgans amicum, quaſi præcipitantem impellat, quem ſubleuare oportebat. Demetrius ille

Phalereus cùm exul à patria Th
inglorius viueret, accedentem Cra-
tem non libenter aſpexit, oration
enim Cynicam, atque aſperam
tuebatur. Verùm vbi à Cratete len
appellari, & conſolatione Philoſop
digna erigi ſe, ac confirmari ſenſit,
indignas, inquit, actiones illas, &
gocia, quibus diſtricti talem vi
non cognouimus. Quòd ſi de me q
ras, quando acerbiùs increpare nec
ſe ſit, & quaſi vela pandere, reſpond
bo temporum hoc eſſe, & rerum
rum, quæ magnitudine & grauit
ipſa animum ad obiurgationem,
eſt, curationem inſtigant, atque in
tant. Quid enim ſe contineat amic
ſi obſiſtendum libidini fortè ſit, ſi ir-
cundiæ, ſi cupiditati animi rectum
diciũ perturbanti? Solon liberè Cro-
ſum admonuit, Alcibiadem Socrates,
Dionem Plato. Alios etiam ad arg
endum opportunos aditus monſtra-
bit occaſio: quam qui de amico labo-
ret amicus, elabi, ac prætetire non ſi-
net. Cauendum eſt autem, ne repre-
henſio,

enſio, & admonitio teſtes habeat, uòd enim coram multis Pythagoras miliarem quendam accepiſſet aſpeius, laqueo ſibi gulam fregit is, qui atreprehenſus: ex eo tempore Pyagoras neminem alio præſente cagauit. Amicorum enim verecunia in arguendo, ſecretum, atque honor habitus verecundiam gignit: quare rectè dictum eſt illud, *Admouit caut, ut ne quiſquam exaudiat alter.* Ptoleæum dormitantem magiſter Ariſtomenes aſſiſtétibus legatis conatus exitare ſermonem adulatoribus dedit, qui rem ſecus interpretati regem vehementer irritauerunt. Defatigatum, inquiunt, laboribus ſomnus oppreſſit, committendum Ariſtomeni non fuit, vt tam multis, iiſque ex aliena republica præſentibus conſopitum regem appellaret, dormireque non ſineret. Ergò venenatum poculum eſt iuſſus haurire, libertatiſque pœnas ac licentiæ quàm grauiſſimas dedit. Abſit igitur ab obiurgante, & admonente oſtentatio, abſit imperium, abſit intem-

intempeſtiua, nec loco ac temp
circumſcripta correctio. Quæ en
loco fiunt, quaſi vitalia ſunt, quæ a
na, & in opportuna, mortifera. S
obiurgantis mores valde conduc
itaque Plato vita ſua ſe Speuſippu
caſtigare dicebat. Eſt etiam caſtiga-
tis modeſtia laudabilis, & inter ar-
endum ſua errata vel punientis,
pariter agnoſcentis: Socrates en
nunquam alios obiurgabat, quin
ſuis etiam confiteretur erratis. E
affecto oculo lumen ſplendidum a-
mouere non expedit, ita impoten
efferato, perturbato, frementi, ind-
gnanti, indomito dura caſtigatio
manus afferri non debet, neque a-
monendus ante amicus eſt, quàm pe-
turbatio illa conſedit. Eſtq; vitupe-
rationi aſpergenda laus, vt acerbi
ipſa dulceſcat, minimè autem facien-
dum tibi eſt, vt tui reprehenſorem vi-
ciſſim reprehendas, & pungentem
quaſi repungas. Sit rara obiurgatio, &
in re graui: cui enim leuibus in rebus
datur venia, is non grauatè libertatem
argue-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rguendi concedit in grauibus'. Et
uidem monitor temperare debet nō
iracundia & contumelia modò, ſed
verbis etiam odioſis. Ciuilius exiſti-
to, ſi dicas, ignoraſti, quàm ſi iniu-
am feciſti, nō animaduertiſti, quàm
rpiter egiſti, cum fratre certare no-
, multo lenius eſt, quàm fratri inui-
ere deſine. In admonendo morum,
ingenij habenda ratio eſt, animo-
m & fortem timiditatis opinione,
ſum, temperantem, ac modeſtum
continentiæ, liberalem, ac ſplendi-
um ſordium, & auaritiæ ſi deterrea-
us, ad honeſta acuemus, & à turpi-
s depellemus'. Sed hæc valent in
hortando ad virtutem, nam in re-
gnando, obſiſtendoque viciis, præ-
rtim ſi erumpendi tempus vrgeat,
æbere nos debemus acriores. Tunc
nim amici partes ſunt, vlcus ferro ſe-
are, & vel cum dolore & cruciatu fa-
ere medicinam. Hæc ferè Plutar-
hus, etſi nos non verbum verbo, ſed
nſis ſenſa reddidimus'. Sed ſi aurea
magis, mi Antoni, quàm hæc ærea
delectant,

*Petrus Ribadeneira lib. 5. de Vita P. Ignatij cap. 11.*

delectant, verſandi cum externis ſu-
berrimas leges te docebit Ignatiꝰ, qu
noſter hiſtoricus magna cum fide
ſcribit, eas ſi legeris, amplius quod c
ſideres, nihil erit. Enim verò ſi is, cu
amici eſſe volumus, dies aliquot in di-
uinarum rerum contemplationis oc
nobis authoribus ſit, rebus ſuis præcla-
riſſimè conſulet, Deum enim admo-
nitorem habebit, rectorem, & ducem.
Niſi enim tempus, ſpaciumq́; ſumit,
ſeq́; à negociorum fluctibus in quen-
dam ſeceſſum, portumq́; recipit, quid
ſibi maximè ſit expediens, ſatis videre
non poterit. Itaq; oratio, qua exerci-
tationes illę perſuadentur, quibus ani-
morum morbi curantur, ſaluberrima
eſt, nihil enim tam ſalutare eſſe po-
teſt, quàm admonitio illa cœleſtis, in-
timaq́; loquutio. In externis tum ad-
ducendis, tum exercendis pater Fran-
ciſcus Villanoua ita excelluit, vt eum
cum maximis, maximèq́; ſalubribus
concionatoribus, qui nunquam con-
cionatus eſt, comparare non dubite-
mus. Vale.

PATRI

PATRI ANDREÆ MARTINO.

*e diuo Thoma ſtudioſiſſimè conſectando.*

QVALEM illum eſſe oporteat, qui Theologiam publicè interpretetur, & verbo & exem-o, mi Andrea, declaras, ſed nos au-oritatibus prætermiſſis, quæſtio-em ipſam re & ratione perſeque-nur. Qualeſque Theologiæ ſacræ agiſtros & præceptores eſſe cupia-us, tibi amiciſſimo dicam, qui iudi-co mecum, & voluntate conſentis. um enim artium reginæ magiſtri vi-am integerrimam, doctrinam opor-eat eſſe ſaniſſimam, ſic in vtroque de-bebit excellere, vt qui ſacræ Theolo-giæ interpretem audierit, nihil vn-quam omnino dediſcat, qui viderit, rum & factorum ſpecie ipſa & pul-chritudine capiatur. Reprehendi on poterit, ſi ſit purus ab omni la-be, ſi innocens, ſi manſuetus, ſi lau-dis & gloriæ contemptor, ſi deni-que religioſus & pius. Neque enim ommittere Theologus debet, vt ſcien-

ſcientiæ, conſcientiæq́ue diſſidio
probiſſimos imitetur Phariſæos. 
ſitatis autem nemo illum poteſt ar-
ere, qui diui Thomæ ſectator er
quiq́; in ſtatuendo, ac decernendo
latum quidem vnguem ab Angel
doctoris ſententia, iudicioq́ue diſc
dit. In quo tibi non gratulari no
poſſum, qui cùm eius Theologiæ, q
diſputat, reſq́ue agitat in vtramq
partem, ſcholaſq́ue explicat, ex q
dicta ſcholaſtica eſt, perantiquus i
Societate ſis doctor, meritò eum ſc
ptorem, à quo ars hæc eſt perfecta
complecteris, amas, ornas, honor
itaq; illi te dedis, vt cum eo errare m
lis, quàm cum cæteris ſcholaſticis v
ſentire. Iſto enim honore, atque
plauſu multo dignior Thomas eſt, q
1. Tuſcul. Plato ille, cui tantũ Cicero tribueba
vt Platonis authoritatem, reliquoru
Philoſophorum veritati anteferret
Licuit olim Scoto., licuit Durando
ſcriptitare nonnulla illis aduerſa, qu
Thomas doctor, & ſapiens, & ſanctu
ſcripſit, nam & eundem Platonem
Dioge-

iogene allatrari ſolitum accepimus. *Diogenes Laertius in Vita Diogenis Cynici.*
uo enim tempore illi ſcripſerunt,
i ſe diui Thomæ exagitatores pro-
ebantur, veritas iacebat in tenebris,
c diuini hominis ſcripta ſe ſatis
enderant: nunc luce rebus allata,
homam in amore, Thomam ſem-
r habemus in ore, cuius ſcripta, præ-
rtim quæ elucubratus eſt ſenior, &
atura abſoluit ætate, pro oraculis
nt, ſtudioſiſſimeque ab omnibus
leguntur. Noſtra vero Societas in
oluendo, diligendoque Thoma,
oſeſſe illis ſimillimos cupit, qui cum
no Thoma non modò mente, ſed
iam veſte conſentiunt. Ergo noſtri
Theologi, & quia libet, & quia neceſ- *Conſtitut. parte 4. c.14.*
eſt, (iubet enim Ignatij de hoc ipſo
a lex) Thomam eorum præcepto-
um magiſtrum ſequuntur, quibus
d virtutes inſtituimur, fidei myſteria
ocemur, res graues, magnaſque
cognoſcimus, quæ eò feliciùs addiſ-
cemus quo nos & faciliores, & ſtudio-
ſiores in iis cognoſcendis præbueri-
mus, quæ de Dialecticis, Phyſicis &



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Metaphyſicis, hic idem doctor di-
gentiſſimè tradidit. Ariſtotelem eti-
Thomas & ex obliuionis, & ex obſcu-
ritatis tenebris reuocauit ad lucem. di-
ſputationes, conſultationes, concio-
nes, hortationes ex hoc fonte naſcun-
tur. Hæreſes Thomas optimè labefa-
ctat, gentium errores præclarè confu-
tat, mores corrigit, & conformat egre-
giè, cæleſtia diuinitus aperit, naturalia
mirificè exponit, ſui ſtudioſos à men-
dacio & calumnia pulchrè defendit.
Thomiſtas enim & ſententiæ gloria
nobilitat, & laurea prudétiæ coho-
neſtat. Neque verò hæc eò diſputo
quòd illos improbem, quibus non
cum ſancto doctore lis eſt, illis vel
Scotum exprobrem, quorum in fami-
lia ſubtilis hic natus ſcriptor eſt, his e-
nim venia dāda eſt, quòd pro ſuo ciue
propugnent, illis tribuenda laus quòd
à diuo Thoma in ea re diſſentiant,
quam author ipſe valere non vult,
ſe enim ſi viueret, ſine dubio reuoca-
ret, ſententiamque retexeret. In
quo Societatis mihi eſſe videtur for-

cunta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nata conditio, quæ ita ſe ſcriptori-
us dedit, vt eos ratione magis, quàm
petu aliquo, & ſtudio ſequatur.
ſo enim in iis, quæ ponimus, appare-
nouitas debet, quæ conflat inuidi-
m, & volũtates alienat, non in vnum
iquem ſcriptorem ſempiterna pro-
enſio, quæ de præcipiendi ac docen-
i authoritate multum detrahit: eos e-
im, qui in magiſtri verba iurarunt,
on equidem deſpicio, ſed neſcio
uomodo doctiſſimus quiſque con-
emnit. Sic ſe res habet, te tua dele-
ant, me mea. Demus hæc hominum
ngeniis, voluntatibus, & naturis, nos
utem Thomæ amatores ſimus eò
meliores, quò eum iuſtiùs, digniùſq;
uebimur. Cuius omnia dogmata
præter vnum aut alterum teneamus,
amemus, defendamus. Qui ſecus fa-
ciunt, eos non maledictis inſectemur,
ſed argumentis conuincamus. De
alienis loquor, noſtros enim minimè
patiendum eſt, temere à diuo Tho-
ma Aquinate diſſentire. Non enim
iuuenilis mihi vnquam probari po-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tuit audacia eorum, qui de rebus ſ[illegible] arbitratu iudicant, & nouas, atque [illegible] auditas opiniones introducunt. Q[illegible] Thomæ Thomiſtis non reclaman-bus, quorum valere debet authori[illegible] videbitur eſſe ſententia, vigeat, v[illegible]-cat, vim ſuam obtineat. Quæ nobis [illegible]-te oculos falſas rerum imagines co[illegible]-fidentia, inanitaſq́; conſtituit, è Soci[illegible]-tatis finibus exterminanda eſt, ar[illegible]-gantiaq́; pellenda, quæ tam mult[illegible] cogit errare. Argumentari cuiq́[illegible]-ceat, remq́; huc illuc diſputando [illegible]-here, eum, quo cum diſceptes, urge[illegible] premere, ac circumcludere, ſed in[illegible] eum, qui à Thoma diſſentiat, ni[illegible] ſentire ſentiamus. Opinionum, [illegible] ſententiarum Thomas regula eſto, a[illegible] quam omnia dirigantur. Non equi-dem dubito, quin probabilia ſequa-tur interdum, qui contra & dicat & ſentiat. Sed nos ferè cum Thoma ſ[illegible]-ciamus: & eum, qui inter ſanctorum [illegible] doctorum relatus eſt numerum, no-ſtræ cauſæ patronum habeamus. Qu[illegible] enim aut tanto inflectur errore, v[illegible]

Tho-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thomæ iudicio anteponat ſuum, aut ita ſibi ſit inimicus, vt in eos ſe laqueos velit induere, è quibus opinioſi pedem non facilè poſſint explicare? Sint vera ſanè quę dicunt, inuidioſa etiam, ſuſpectaq; ſunt, neq; doctrinæ nouitas ſine magna offenſionis & iurgiorum mercede contingit. Eſtq; diui Hieronymi vox illa præclara, melius eſt aliquid neſcire ſecurè, quàm cum periculo diſcere.

*Epiſtola ad Euſtochiũ de virginitate ſeruanda.*

Neque alia cauſa eſt, cur quidam ex noſtris antiquis ſapientibus, illo eodem Hieronymo teſte, priſcos Philoſophos hæreticorum eſſe dixerit Patriarchas.

*Libro ad Cteſiphontem aduerſus Pelagianos.*

Quæ enim quiſque finxiſſet, defendebat acerrimè, nihilq; tam abſurdum, tetrumq; fuit, quin vnum aliquem pertinaciſſimum haberet defenſorem. Quem Philoſophorum morem ſequuti hæretici ſunt, cum religionis & ſapientiæ ſumma pernicie. Contendunt enim, vt noua dicant, veteribuſq; repugnent. Equidem vt varij à noſtris legantur ſcriptores, vt multa videant, inter ſententias diiudicent, quædam ipſi per

ſe reperiant, veteres, recentioreſq;
libros, ſcriptoreſque cognoſcant, q
in ſcholis dictantur, omnia nouerint
opto vehementer, cum hoc tamen
à lubricis refugiamus, ſolida & firma
quæramus. Nihil enim abſonum pla-
cere debet, nil probatu, creditu
difficile, in quo tuam conſuetudinem
mi Andrea vehementer admiror,
cum incredibili eruditione veritatiſ-
que exploratione coniunctam. Ni-
hil enim das amicitiæ, nil ſtudio, par-
tibuſque largiris, ſic Thomam dili-
genter euoluis, vt eorum, qui ſe Tho-
mæ aſſeclas profitentur, popularis eſſe
videaris, res accuratiſſimè diſputas, la-
borioſiſſimè pendis & examinas, no-
uitatem ferè explodis, vetuſtatem, id
eſt veritatem defendis acerrimè. Ita-
que diſcipulis author eſſe non deſinis,
ne aliquo acutè concluſo moueantur,
neue iter illud deſerant, quod noſtri
nobis maiores tritiſſimum reliquerunt.
Eſto ſummum eſſe ingenium
adoleſcentis, qui habitat apud nos,
mirabilemque naturam. Num male

locabi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cabitur opera, ſi quam multorum
ommunem videt eſſe ſententiam, e-
samator ſit? in Ariſtotele, & Thoma
eruolutatus vſitatæ, receptæque do-
rinæ ſyncerum ſe præbeat interpre-
em, barbatis credat magiſtris, refellat
gutulos, antiquitatem tueatur, ar-
umenta infirmet, dubitationibus oc-
urrat, ſcrupulos eximat, & ſe ab opi-
ioſiſſimis pre[illegible] inuictũ? Nec enim
nnes idem & ſapere & dicere poſ-
imus, vt Apoſtolus admonet, niſi *2. ad Cor. 13. Ad Philip. 3.*
facimus, & in iudicando, atque ſta-
endo concordamus. Et quidem ve-
ecundia religionis cuſtos & alum-
a ſanctitatis minimè patitur, vt ſe
dolescentuli contumaciter efferant,
enilem ſuorum magiſtrorum autho-
itatem, canoſq́; deſpiciant, aliorum
commentarios legant, deſcribant,
ment, aliorum nunquam attingant,
ouis ſententiis applaudant, veteres
eiiciant & iis gradibus ad ſummam
gloriam peruenire ſe poſſe arbitren-
tur. In quo eos fallit opinio, nihil
enim tam aduerſum famæ eſt, quam

quod illi ſuſcipiunt. In ea namq; te-
pora incidimus, in quibus non mo-
antiquitatis exagitator, ſed ipſe eti-
fautor obruitur inuidiæ fluctibus, n-
moq; ſe paulò altiùs extulit, quin f-
tunæ telis viuat obiectus. Quare c-
tendum eſt, vt non modò abſurda, i-
ſpecta, & planè falſa, ſed etiam in-
dioſa fugiamus. Etſi enim quædam
ex coniectura pendent, de quibus i-
ter magnos viros eſt ſumma diſſe-
ſio, nullamque adhibent perſuade-
di neceſſitatem, tamen in re dubia
controuerſa cum illis ſentire no-
oportet, quos fama celebrat: mult-
enim digniores Thomæ ſectatores
ſunt, vt eorum doctrina longè, la-
que fluat, inque Europam, Aſiam
*Cic.1.Tuſcul.* Africamque permanet, quàm Pytha-
goreorum, quos ita floruiſſe accep-
mus, vt nulli alij docti viderentur.
Quàm te monachi omnes obſeruent,
ament, honorent, quem ex omnium
conſurrectione & plauſu ſolidiorẽ
tuæ doctrinæ fructum capias, lippis
eſt & tonſoribus notum, nec enim
in opo-

optima cauſa concidere poteſt, qui
el malas ſi vellet, obtinere potuiſſet.
ale,& iſtam vrbem cole, quam me-
ò diligis.

## Cvidam Theologiæ Avditori.

*De moralibus diligenter addiſcendis.*

SOCIETATIS, mi Lodoice, doctrina, eruditioque omnis refertur ad Deum, à quo ve- m è fonte manauit, neq; video quid ibi noſter ſcholaſticus proponere liud debeat, cui per noſtras leges eſſe on licet Epiſcopo, mercenarioúe octori, cui Theologiam publicè in- erpretanti grande ſtipendium quot- annis perſoluatur. Nam laudis & glo- ræ in tanta iudiciorum diſſimilitudi- e, opinionum morumq́; peruerſita- te perexiguus eſt fructus, & quem pro ihilo putare poſſit, vel qui religioſæ itæ nullis legibus teneatur. Iam enim lla Caietani, & Franciſci Victoriæ empora præterierunt, in quibus ho- or artes alebat, honor inquam ab

 his,

his, qui in eodem curriculo verſan-
tur. Theologiaq́; laudatores & fau-
res multos habebat, quos hæc ætas no-
ſtra deſiderat, quæ quod inchoatum
eſt, & impolitum non laude tanquam
voce & clamore perducit ad calcem,
ſed næuum in pulcro quærit, & quæ
ſunt perfectè elaborata reprehendit.
Quare ſi ſapis, eum tibi finem in illa
addiſcenda arte conſtitue, quem poſ-
ſis adipiſci. Laus enim, quæ incitare
hominum ſtudia ſolet, quæq́ue virtu-
tem naſcentem corroborat, progredi-
entem acclamatione & fauore proſe-
quitur, iam pridem obmutuit, quæ
verò ex inuidentia & liuore nata alijs
iniuſtè eripit, quod aliis indignè lar-
giatur, ſola in vſu eſt. Cuius noſtra So-
cietas ſemper fuit, & vt ſpero, erit ini-
mica. Hanc mi Lodoice vt peſtem fu-
gito, Theologiamq́; puritatis magi-
ſtram purè condiſcito: & ab iis conui-
tiis, contumeliiſq́; defendito, quibus
diuinam Theologiam quorundam le-
uitas deformauit. Non enim vociferan-
di, obtrectandi, contradicendi, diſſi-

ndi ars iſta eſt, ſed veri exquirendi, os honorandi, cum prudentiſſimis ibusq; atque ſaniſſimis ſentiendi. iſputatio non ſolùm contumelia, etiam iracundia vacare debet. Sit altercando vis & acrimonia, ſine a friget ipſa contentio, illa ampu-ntur, quæ otij conſumendi cauſa di-ntur, nec ad rem pertinent, ſed vel rogantiæ argumenta, vel ſilentij at-ue infantiæ videntur eſſe remedia. Quæ diuinitus vindicari ſolere Caſ-ini nos docet hiſtoria. Cùm enim bbas Moyſes ſingulari pietate mo-achus cum ſanctiſſimo abbate Ma-ario diſputans, verbum paulò du-us atque liberius protuliſſet, incon-ideràtiæ pœnas illico dedit: nam ma-us dæmon, à quo Dei permiſſu arre-tus fuerat, ventris fæcibus, quæ & ſe-retam, & immũdam eiectionem ha-ere ſolent, humanoq; ſtercore os, fa-iemq; ſubinde fædabat, ſed Macharij recibus omnis illa dœmonis, & agi-tio, & iniurioſa fæditas conquie-uit. Algere diſputationem mini-mè de-

*Collat. 7. cap. 27.*

mè decet, neque ita tamen arder
in ea ſit fumus & ignis. Preſſum &
cleatum diſputatorem te eſſe ve
quemque nil ſuperuacaneum, red
danſq; delectet. Vrgeatur aduerſari
reſque ad viuum reſecetur, ſed in
ligant qui diſputant, quatenus ſe
ritas oſtendet, eatenus eſſe labor
dum. Verendumque erit, ne ſi
perto illo, quod quærimus, vltra p
greſſi fuerimus, aut nimis pertina
aut parum ſagaces videamur. Na
qui diutiùs quam oporteat, pugn *Collat. 7. cap. 17.*
tes, argumentanteſq; perſiſtunt, a
cedere nolunt, & ſe victos, perſuaſ
que fateri non audent, quod eſt ſup
borum, aut ipſo monſtratæ verita
ſplendore caligant, quod eſt hebet
& tardorũ: tu ſic te in diſputando ge
re, vt pugnæ modum adhibeas, app
reatque nil tibi eſſe antiquius verita
te. Quòd ſi in illum incideris, q
nec rectè reſpondeat, nec quæ à te
dicuntur, infirmet, vtere pruden
tia illa tua, & debilitatum, abiectum
que confirma, ſtultè gloriantẽ, & op
nionis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

onis errore labentem re ipſa potiùs
oderare, quàm verbis, & à ſenten-
prauitate & viribus & conſilio de-
te. Nemo enim tam eſt excors, qui
n aduerſarij ſui virtutem & robur
noſcat eo faciliùs, quò ſe victor geſ-
rit humaniùs. Stupidis tamen adhi-
nda tortura eſt, vt ſe victos fatean-
r. Opinandi mi Ludouice, atque
firmandi vitanda temeritas eſt, illa-
ue ſeruanda, quæ ſanctus Baſilius
cuiuſdam diſcipulos verba faciens *Amphilochius in vita diui Baſilij.*
iliſſima, grauiſſimaque præcepit,
æ quia tibi credo eſſe notiſſima,
ætermitto. In ſcholis explicandis,
ntentiiſq; tradendis inſtar omnium
tibi Sanctus Thomas ex Aquina-
m nobiliſſima, ex prædicatorum
obiliore familia. Qui ab hoc pręcla-
o ſcriptore diſſentiũt, eos ne morde-
o linguæ conuitiis quaſi dentibus,
d refellito argumentis. Quorum al-
rum hominum eſt, alterum beſtia-
m. Ac ne illud quidem, quod cum
uo Thoma quidam perſeueranter
firmant, reiiciendum cum iniuria
eſt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſt. Dicant ſanè quæ volent alij, &
Dei parentem non ſolùm à culpa, ſed
etiam ab originis labe vindicem,
omniſque maculæ expertem fuiſſe
credamus, fateamur, exclamemus, ne-
que ſolùm ſecundo populo, ſed etiam
annuente cœlo hæc à nobis diciari-
tremur. Societas quidem quem ſan-
ctiſſimum, quem ſapientiſſimum,
quem omnibus locis veritatis aſſe-
rem quendam appellat, huius hac
ſententiam de puriſſimæ Mariæ vir-
ginis conceptione & ſatu non pro-
bat, quam ille quo fuit ingenio, atque
animo ſi hodie viueret, ſine dubio
mutaret. Illud te etiam atque etiam
admoneo, perennia vt ſint tua ſtu-
dia, ſi illum attingere ſcopum vis,
quem in Theologiæ cognitione ſpe-
ctat, intueturque Societas. Non e-
nim aut concionari, aut publicè inter-
pretari, aut cum hæreticis diſputare,
aut ad Chriſtianam fidem ſimula-
crorum cultores perducere noſtri poſ-
ſunt, ſi de le gendi, audiendi, diſſeren-
di, commentandi, ſcribendi conten-
tione

one & labore remiſerint. Non ſub-
libus ſolùm, ſed multo etiam magis
libus delectari te velim, quorum
tera diſputationibus proſunt, con-
ſſionibus altera, eſtq́; turpiſſimum
neſcire Theologos, propter quæ
heologia condiſcitur. Theologi
im indignus nomine eſt, qui nodos
llos diſſoluit, neque poſt tot anno-
m curriculum, poſt tot ſcripta, totq́;
ceptas quæſtiones & ſua & librario-
m manu multorum ægris animis
ert medicinam. Atque vtinam quæ
moribus in Theologia diſputan-
r, ea ne curſim à tam multis diſce-
ntur. Mores enim non vetus illa
iſcorum Philoſophia format & fin-
, quam Socrates è cœlo deuocaſſe
rtur, & in domos introduxiſſe: Chri-
anæ Theologiæ munus hoc eſt,
æ neminem labi, errareq́ue ſinit,
es bonorum, malorumq́ue conſti-
t, officia deſcribit, quam quiſq; vi-
n ingredi debeat, definit, quid mor-
ſerũ, quid vitale demonſtrat. Quæ ta-
n à multis, qui & verba ad popu-
lum

lum faciunt, & diſputantium exe-
vociferatione & clamore compl
ſępè ignorantur. Quæ ſit in re iſta
uerſitas, illius fabella declarat, qu
perhibent in puteum ante oculos
ſitum, quem non prouiderat, dec
ſe, cùm quę eſſent aliis euentura ſe
prædicturum profiteretur. Nec
alienum, quod de Rhamnete à N
interfecto Virgilius cecinit,

9. Æneid. *Sic memorat, vocemq́ue premit, ſimul*
*ſuperbum,* *(buri*
*Rhamnetem aggreditur, qui fortè tu*
*Extructus toto proſlabat pectore ſomn*
*Rex idem & regi Turno gratiſſimus au*
*Sed non augurio potuit depellere peſte*

Extat egregium epigramma A
patri Sidonij in eum aucupem,
dum aues cupidiùs inſequutus c
ſuſpicit, viperæ morſum non c
quæ cùm venenum infudiſſet, ho
nem extinxit.

*Vide Andream Alciatum in emblematis & lib. 3. epigrammatum Græcor.*

*Sic obit extento qui ſydera reſpicit arc*
*Securus fati, quod iacet ante pedes.*

Similiter mihi facere videntur,
ſubtilia conſectantes vtilia non c

Com

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

um Theologos vtrumque ſequi neſſe ſit, ne aut in diſputationibus obuteſcăt, aut in confeſſione balbutit: quare da operam, vt omnia tibi t comparata, & prouiſa, quæ ſunt ad intelligendum, & ad agendum ceſſaria, ne tibi accidat quod olim haleti Mileſio, quem in foueam de- *Diogenes Laertius in vita Thaletis.* erſum vel anicula irriſit, quæ ei neſſaria miniſtrabat, & cibos condiet, hero enim vitio vertit, quòd nournam cœli faciem, aſtraq; intentiùs ectans præſens periculum non aniaduertiſſet. Quod noſter Tullius oetæ neſcio cuius verſiculo illo rerehendit.

*Quid eſt ante pedes nemo ſpectat, cœli ſcrutantur plagas.* *2. de diui.*

Nihil enim tam dedecet, quàm hoinem Theologum & eum Theologum, qui ſpeculetur accerrimè deque erum naturis acutiſſimè diſputet, à oralibus controuerſiis imparatum conſulentibus ac percontantibus reſpondere non poſſe, hæc igitur Societatis Theologus diſcat in primis, quæ

verò ex iure pontificio & ex legib'
ad hanc rem pertinent, cognita-
beat, explorata, comperta, vt ſe-
confeſſionibus & conſultationib'
expedire poſſit, & plurimorum ſa-
re conſcientias, qui eſt omni è Theo-
logia fructus vberrimus. Quadrie-
nium illud quod Societas in D. Tho-
mæ libris euoluendis, tractatibuſq;
intelligendis ponere iubet, conci-
natoriis ſententiolis nec confun-
nec conteri decet. Nam in Theologiæ
curriculo & ſtadio verſantibus illa
eſſe prima debent, vel ſola potiùs,
quæ Thoma authore traduntur: hæc
enim ſpinoſiora aſſiduitatem perſe-
uerantiamq́ue deſiderant. Conc-
his nixa fundamentis creſcere &
peruenire poteſt ad ſummum. Qu-
ante quintum Theologiæ annum
attingi non debet. Tu ſiue quinto,
ſiue ſexto anno ad concionem adiun-
ges animum, ſine rectorum iuſſu
molire nihil. Nam ſi ſponte in ea ſtu-
dia incubueris, fruſtra fortaſſe labo-
rabis, quæq́ue furto abſtuleris, reddes,
atque

que reſtitues. nihil ſalubre, nihil
uam ſuaue, quin idem coctum ſit,
maturum. Multa tibi ad concio-
andum tempeſtiua erunt, illa ſi ex-
ectas, fructum feres. Linum & hor-
eum, dicit ſcriptura, læſum eſt, cùm
orribilis illa grando cecidiſſet, *eò quod* *Exodi. c. 9.*
*rdeum eſſet virens, & linum iam follicu-*
*germinaret, triticum autem & far non*
*nt leſa, quia ſerotina erant.* Vbi te
us ad concionem inuitabit, atque
eo pertrahet moderator, cura vt
pias, & ex illorum numero ſis, qui
uæ volunt, quæq; conantur, efficiũt.
ulta Theologiæ arcana egregio
oncionatore diſputante cognoſci-
nus: qui tamen mutus & ſilens docet
pè meliora. paucis contentã eſſe na-
ram, temporis ne minimam faci-
ndam eſſe iacturam, Theologos de-
ere vilem amictum, mores facilli-
os, charitatem, humanitatemque
erpetuam. Quidquid aduerſum
aſus attulerit, modicè ferre, quos à
obis viderimus auerſos cum iis ami-
iſſimè colloqui, nec animi alienioris

indicia præ nobis ferre, vt Tho-
diſcipulos, & Societatis filios po-
mus agnoſcere. Noſter enim
& pater vt Theologiæ tam magiſtr-
quàm diſcipulis opinationem, id
temeritatem eriperet, Thomam pr-
finiuit, quinetiam fore ſperauit,
qui ſapientiſſimi, ſanctiſſimique d-
ctoris ſententiis deditus eſſet, me-
tem ab erroribus, voluntatem & a-
mum à flagitio vindicaret. Quod
præſtare licet, qui cùm ſanctorum p-
trum, & diui Thomæ, quem tam ſæp-
nomino, lectione pectus impleri-
illa non omittunt, quæ nobis etia-
ſapere declarant, legum & inſtit-
obſeruationem, corporis & animi c-
ſtitatem, mirabilem ſanctimonia-
noſtri contemptum, præclaram ci-
abſtinentiam, taciturnitatem, mo-
deſtiam, precandi aſſiduitatem, lacry-
mas, ieiunia, verbera, corporis cruci-
menta, ſine quibus ſpecie Theolog-
re fures improbiſſimi erimus, qui
alienas fortunas inuadimus, oleum
& operam perdimus, Societatis ſum-

pus

ctus profundimus, quibus illa non
parcit, vt ſuos literis & virtute perpo-
lat, cuius vtriuſque rei mira vicini-
tas eſt, & præclara conſenſio. Studia
enim probitatis domicilia ſunt, vir-
tus alumna ſtudiorũ, hæc vt velis ho-
neſtè viuere, vt poſſis illa perficiunt.
vt conſultoribus reſpondeas, diſcen-
da Theologia eſt, vt Theologiæ præ-
ceptis decretiſq́ue pareas, cole, com-
plectereq́ue virtutem. ſcire quæ recta
ſint, quæ vera, quæ certa, quæ pro-
babilia, quæ falſa, quæ dubia, quæ ho-
neſta, quæ turpia niſi literis ſimus
exculti non poſſumus, ad eorum præ-
ceptorum, quæ cognita, perſpectaq́;
ſunt, rationem & normam actiones
noſtras, ſenſuſq́ue dirigere perfectæ
virtutis eſt, hominiſq́ue & vera vi-
dentis, & quæ diuina ſint lege præſcri-
pta facientis. è libris & literis fortitu-
dinis documenta ſumuntur contra
dolorem, temperantiæ aduerſus libi-
dinem, conſtantiæ contra metum,
vitæ honeſtas impedit, quo minꝰ nos
à recta ratione vitioſa natura detor-

queat. Cognita, perſpectaq́; ſcient, leuamur ſuperſtitione, emergimus erroribus, opinionum prauitatem exuimus, non conturbamur ignoratione rerum, ex qua ipſa horribiles ex-iſtunt ſæpe formidines, denique mo-rati meliùs erimus, cùm didicerimus quid immenſa illa bonitas requirat nobis, ſeruata quæ delapſa de cœlo eſt fidei regula, ad quam omnia rerum iudicia conformentur. Ne auté Salomonis, Origenis, Tertulliani, Hoſii, magis ſapientium, quàm ſanctorum, exemplo labamur, virtus cum literis ſociata prouidebit, & mortis commé-tatio diuturna non illius tantùm, qui tanquam Tantali ſaxum ſemper impendet, ſed eius etiam, qua quotidie morimur, cauemuſq́; ne vmbris, delitiis, otio, languore, deſidia, animum inficiamus, & opinionibus, maloq́ue more delinitum molliamus. Et omnino velim te cum alta cogitas, & grauiſſimis iſtis ſtudiis inhæres, minuere opinionem ſcientiæ, mentem, animumq́ue demittere, vnamq́; putare

cer-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

certiſſimam doctrinam, pietatem in Deum, erga homines miſericordiã, & illam ardentem charitatẽ, qua Deus, ob id ipſum quia Deus eſt, ſummè diligitur, homines autẽ propter Deum. Reminiſcere Societatis te eſſe ſcholaſticum, & ex illo grege eſſe, vnde piſcatores illi ſumuntur, qui homines capiunt, neque maris vel monſtra, vel procellas extimeſcunt. Vale.

## CVIDAM PERPETVÒ ÆGROtanti.

*Vt vel in tam afflicta valetudine ſit hominibus fructuoſus.*

QVI & ægrotarent, & vno eodemque tempore benè valerent, Alfonſe chariſſime, permultos in Societate cognoui. Nam vel infirmo vel ægro corpore valebat animus, vigebat, ſanus erat, nec in morbi diuturnitate deprimi poterat, & iacere. Vt enim ea omittam, quæ quia in illis fuerunt, qui Chriſtum neſcierunt, admirabilia non iudico, non flere, non ingemiſcere, non vultum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mutare, non commoti, debilitati, a-
ctiq; animi ſignificationem dare, q
quo inanis Ethnicorum oſtenta
fuit, tantam ex morbo quidam ex-
ſtris vtilitatem perceperunt, vt febr
lateris dolori, ſtranguriæ, torturæ, po-
dagræ magnam gratiam habere me-
ritò debeãt, propter quæ Deo immor-
tali pergrati, hominibus mirabiles ex-
titerunt. Nihil eſt enim principi
Deo, qui omnem hunc mundum e
nihilo conſtituit, conſtitutumq; gu-
bernat & regit, quod in terris fiat ac-
ceptius, quàm quod æquis animis to-
leratur, nihil quod homines vehemẽ-
tiùs admirentur. Euenitq; perſæpe, vt
eam morbus ſalutem afferat, quam
nulla vnquam valetudo dare potuiſ-
ſet. Quæ tamen optabilis cùm omni-
bus, tùm maximè religioſis eſſe debet
hominibus, qui legum ſuarum niſi fir-
ma valetudine vtantur, obſeruatores
& cuſtodes eſſe vix poſſunt. Nihil
enim aliud, niſi cauemus, ac prouide-
mus, hominis in religioſorũ cœtu vi-
uentis ægrotatio eſt, longinqua præ-

ſertim,

rtim, quàm officij intermiſſio, ceſſa-onis, & tarditatis occaſio, languoris oſpitium, inertiæ diuerſorium, & vi-mollioris officina. Sed morborum o ſunt genera, alterum breue, ſed riculoſum tamen, horribile, vehe-ens, acerbũ, crudele, metuendum: terum lene quidem & remiſſum, d tamen diuturnum, longinquum, hærens, pertinax. Illud mortis pro-nquitate non ſolùm viros religioſos officio continet, ſed facinoroſos et-m & tetros metu ipſo coërcet: hoc rditate, lentitudineq́; ipſa populari-us ferè prodeſt, quos à vitiis abſtra-t, perfectæ vitæ amatoribus incom-odare ſæpiſſimè ſolet, qui valetudi-s recuperandæ cura in virtutis ſtu-o languent, religioniſq́; officia & unera oſcitanter exercent. Quare æ de hoc morborum genere tole-ndo viri grauiſſimi, & ſanctiſſimi adiderunt, ſeruanda diligenter ſunt, malis dæmonis inſidias cauere poſſi-us, qui nocendi tempus nullum præ-mittit. Nam cùm morbus eiuſmo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

di eſt, vt non breui opprimere, ſed paulatim & ſenſim vitam nobis eripere videatur, Hippocrate, Galeno & Auicena valere iuſſis, cœleſtis duntaxat eſt medicus implorandus, qui vtramque valetudinem ſi ſit neceſſe, donabit, ſin minus illam alteram, quæ multo præſtantior eſt, nobis ſuppliciter poſcentibus benigniſſimè largietur. Nec enim decet eum, qui ſe Chriſti militem ſtrenuum ac fortem profiteatur, dolori, & morbo ſuccumbere, eiuſque depellendi & excutiendi cupiditate nimia flagrare. Quidquid & medici & rectores noſtri velint, nos facillimos præbeamus, neque committamus, vt noſtra intemperantia vel collegiſſe morbum, vel auxiſſe videamur, ſæpe enim dum aliquid parum cautè comedimus, dũ nos in ventum, ſolemúe committimus, dum in legendi, ſcribendi, commentandíque ſtudio longiùs, quàm medicinæ ratio ſinat, progredimur, languorem morbumq́ue protendimus, noſq́ue ipſi vulneramus. Quid in hoc genere face-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

facere oporteat, medicorum eſt
[p]ræſcribere, ægrotorum obedire. Ne-
que ſi inualetudo aut medicina, aut
[m]oderata victus ratione curari non
[p]oſſit, iacere afflictos nos decet, cùm
[vi]rtus teſte diuo Paulo infirmitate
[ip]ſa confirmetur. Quàm enim pati-
[e]ntes ſimus, quàm graues, quàm con-
[ſt]antes, quàm denique ſapientes mor-
[b]us oſtendit, eiuſque interuentu au-
[g]eri cœleſtibus donis mirabiliter poſ-
[ſi]mus. Nam is, cuius ſemper valetu-
[d]o tentatur, tolerantiæ ſtatuit docu-
[m]enta, ferendiq; doloris magiſter eſt
[e]o melior, vtilior & commodior, quò
[p]lures ſunt, qui grauiter cruciari ad
[b]reue tempus malint, quàm morbum
[p]erpeti diuturnum, in quo remiſſio-
[n]es multæ ſint. Nam doloris lõginqui
[t]atio non fit ſine tædio, moleſtia,
[la]ngore, ſenio, canitie, moroſitate, &
[ſi]tibus, quæ multis partibus durio-
[r]a ſunt, quàm quæ vehementiſſimus,
[&] ardentiſſimus febris dolor conſue-
[u]it afferre, qui aut celeriter necat,
[a]ut breui conſeneſcit. Ex quo etiam
effici

*2. ad Corin. cap. 12.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

effici ſolet, vt viri ſapientes minu
morbo timeant, quo torquentur ac-
rimè, quàm in morbi reliquiis, na
doloris magnitudinem temporis
uitas conſolatur, conualeſcendi tem-
pus propter incertos caſus ſpem hab
& timorem, ipſaq; mora, & tardit
*Prouer. 13.* diſcruciat. nam ſpes, quæ differtur, a-
fligit animam. Cumq; bona valetu,
*Ad Quirites post reditum.* vt ait Tullius, iucundior iis ſit, qui
graui morbo recreati ſunt, quàm qu
nunquam ægro corpore fuerunt,
etiam morbus multò aſperior illis,
quibus vitæ longitudo proponit,
quàm qui de vita deſperant. Illa enim
ſanationis vicinitas, tanquam Tant
poma, exedit animum, & intolera
dolore cruciat, eoq; magis afficim
quò illa propius abſunt, quæ habe
cupiamus. Nam qui ægro corpore
ſunt, nec vnquam conualeſcunt, &
morborum quibus afficiuntur, tole-
rabilia genera ſint, tamen ſibi diſpli-
cent, & dolore contabeſcunt, ſitique
enecti mento ſummam aquam attin-
gunt, & valetudinis quaſi Syſiphi la-
pidem

idem verſantes, ſudant, anhelant, ni-
ntur, voluunt, reuoluunt, nihilq́ue
roficiunt. Et quia expectando cru-
amur, atque angimur, multò erit
on expectare, neque deſiderare iu-
ndius, ſalubrius, atque prudentius.
Qui igitur ita affecti ſunt, etiam atque
tiam videntur eſſe admonendi, vt
tium, quoad eius fieri poſſit, inerti-
amque defugiant: quantum enim oc-
upationis, operæq́; ſument, tantum
e faſtidio, deq́; mœrore, & moroſi-
ate detrahent, ſeq́; his magnopere
robabunt, à quibus ſubleuātur. Cùm
nim nihil agere non poſſit animus
lle præſertim, qui in literarum & vir-
utis ſtudiis ab initio eſt verſatus æta-
ts, cenſeo, vt illi omnes, quibus per
morbum licet, occupationes habeant
non moleſtas illas quidem, ſed hone-
ſtas tamen, & cum religioſa vita con-
gruentes. Sunt admirabilia, quæ ſan-
ctiſſimus ille Gregorius Romanæ &
præſul, & doctor Eccleſiæ ægra ſem-
per & infirma valetudine fecit, dixit,
ſcripſit: dux noſter Ignatius effœto,
exhau-

*Ioannes diaconus in Vita S. Gregorij, lib. 1. c. 8.*

exhauſto, imbecilloque corpore decreuit, & inſtituit, quæ legimus, ſeruamus, imitamur, habemus, loquimur: eius amiciſſimus, & æqualis magiſter Ioannes Auila duodeuiginti annos febrim paſſus, concionabatur tamen & laborabat, neque se illis, qui eius opera indigerent, denegabat. Quintus Cicero Ciceronis magni frater irruentibus Gallis fortiſsimè reſtitit, & hyberna ſumma cum laude defendit, *& cùm tenuiſsima valetudine eſſet*, vt ait Cæſar, huius ſcriptor hiſtoriæ, cuius erat Cicero ipſe legatus, *ne nocturnum quidem ſibi tempus ad quietem relinquebat, vt vltro militum concurſu, ac vocibus ſibi parcere cogeretur.* Solent qui in ſcholis pro morbis, ægrotationibuſque declamant, morborum beneficia, & quorundam perpetuò ægrotantium officia proferre, nec verò ea fingere ipſi, ſed Æliano authore, aliiſq; pluribus. Primum Hieron Siciliæ tyrannus prædicatur, qui primò indoctiſſimus, cùm aliquando in morbum incidiſſet, & otium,

*Lib. 5. de bello Gallico.*

*Lib. 4. de Varia hiſtoria.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uod illi corporis imbecillitas dabat, ostorum hominum ſermonibus audiendis tribuiſſet, literas, à quibus rat alienus, ſic amare cœpit, vt ex orbo conualeſcens Simonidis, Pinari, Bacchylidis ſtudioſus auditor erit, & quod eſſe conſequens ſolet, erdoctus euaſerit. Ptolemæi ſecundi iſciplina illa non vulgaris ex hoc eoem fonte manauit, ſiquidem ægrons illius doctrinæ principia poſuit, uam rectè valens & ſanus abſoluit. heagem ſcribit Plato nulla alia ocaſione, quàm morbi otio Philoſohiæ præcepta plenè & perfectè didiiſſe. Nam cùm eum morbus à ciuium rerum procuratione prohiberet, neque nihil agere poſſet, contuiſe ad ſtudium ſapientiæ, neque ſoum à corporis morbis, ſed ab animi tiam ęgritudine & triſtitia reſpirauit. uid? quod etiam interdum ex moro ipſo remedia naſcuntur, magnæue vtilitates exiſtunt: nam Straton utiliter & commodè videtur ægrotaſe, qui cùm ex ſplene laboraret, remediumq́;

diumque ex corporis exercitatione & palæſtra petere cogeretur, primò eius artis beneficio valetudinem recuperauit, pòſt cùm in arte proceſſiſſet, Olympicorum victor fuit, quæ erat illis temporibus ſumma laus. Democrates non prætermittitur, qui podagricus & ipſe ſtrenuus cùm ex pedibus laboraret, venit ad certamen, ſeq́; lineâ circumſcripſit, aduerſarioſq́; tum demum victores fore conſtituit, ſi ſe extra lineā depuliſſent. At illi victi ſunt ab ægroto, & cùm fortiter in loco maniſſet, coronam deportauit. Liberum, quæ de Poſſidonio Cicero tradit, iiſdem verbis exponere. Vt intelligamus quàm multi illi ſint, qui nos inertiæ ſocordiæq́; cōdemnent. *Id dicam, quod ſolebat narrare Pompeius, ſe cùm Rhodum veniſſet, decedens ex Syria, audire voluiſſe Poßidonium, ſed cùm audiuiſſet eum grauiter eſſe ægrum, quòd vehementer eius artus laborarent, voluiſſe tamē nobiliſſimum Philoſophum viſere, quem vt vidiſſet, & ſalutauiſſet, honorificiſq́; verbis proſecutus eſſet, moleſteq́; ſe dixiſſet ferre, quòd*

*Lib. 2. Tuſcul. quæſt.*

cum

*um nõ poſſet audire, at ille tu verò, inquit, ites: nec committam, vt dolor corporis ef- ciat, vt fruſtra tantus vir ad me venerit, aque narrabat eum grauiter & copiosè de c ipſo nihil eſſe bonum, niſi quòd hone- um eſſet, cubantem diſputaſſe. Cumq́; quaſi ces ei dolores admouerentur, ſæpe dixiſſe, hil agis dolor, quamuis ſis moleſtus, nun- am te eſſe confitebor malum.* Hæc Tul- ius. Eccleſiæ verò doctor & lumen Ambroſius ſenex multa dictauit, mor- tique vicinus commentarios in Pſal- rum quadrageſimum tertiũ inchoa- it, quos mortis interuentu conſum- are non potuit. D. Thomas in mo- naſterio Foſſæ nouæ, quo ſe ægrotans eceperat, hoſpitum rogatu Cantica Canticorum explanauit, & vſque ad xtremum ſpiritum in tradendæ ſalu- aris doctrinæ perpetuo labore per- manſit. Salomonis verò cantum il- um eò libentiùs diuinus doctor ex- oſuit, quò ſe beatorum vocibus ac anticis propinquiorem eſſe cerne- bat. Neque nos medicorum retra- here ab honeſto & moderato labore

*S. Paulinus in vita D. Ambroſij.*

*F. Laurentius Surius in vita D. Thomæ.*

iudicia debent, qui ſæpe loquuntur ad voluntatem, & cùm ſanare non poſſunt, ne omnino nil dicant, ſcriptiones, lectiones, & meditationes interdicunt. In quo eos, qui ita ſentiunt, (nam plurimi ſunt præclari medici, atque prudentes, quibus noſtra hæc admonitio non diſplicet) vehementer fallit opinio. Quandoquidem perennis morbus atque inſanabilis vel curari, vel certè releuari occupationibus ſolet. Magnopere enim refert qualis animus in ægro ſit corpore: eſtque ipſe mentis habitus effector valetudinis. *Totum enim* (vt præclarè diſputatum eſt à Cicerone, quem locum meis ægrotis ad

*2. Tuſcul.*

verbum ediſci velim) *in eo eſt, vt tibi imperes. atque hæc cogitatio quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignum ſit, non ſolùm animum comprimit, ſed ipſum etiam dolorem, neſcio quo pacto mitiorem facit. vt enim ſi in prælio vt ignauus miles, ac timidus ſimul ac viderit hoſtem, abiecto ſcuto fugiat, quantum poſſit, ob eamq; cauſam pereat non-*
num-

*nunquam etiam integro corpore, cùm ei, quiſteterit, nil tale euenerit, ſic qui doloris ſpeciem ferre non poſſunt, abiiciunt ſe, atque ita afflicti & exanimati iacent. Qui autem reſtiterint, diſcedunt ſæpiſſimè ſuperiores. Sunt enim quædam animi ſimilitudines cum corpore: ut onera contentis corporibus faci- lius feruntur: remiſſis opprimunt: ſimilli- me animus intentione ſua depellit preſſum omnem ponderum, remiſſione autem ſic urgetur, ut ſe nequeat extollere. & ſi verũ quærimus in omnibus officiis perſequendis animi eſt adhibenda contentio.* Nil habet mi Alfonſe, quod addat Caſſianus, aut Climacus, quos ſcimus de vincen- dis affectionibus mirificè philoſopha- ri. vide quàm acutè, quàm ſalutariter, quàm noſtris dogmatis conuenien- ter cuncta præcipiat. Ergo viri ſan- ctiſſimi & ęgri & imbecilles non ſecus ac ſani, valentes, & robuſti laborabant, ſocietatiſq; ægroti in morborum in- duciis ne balneos, ruſticationes, itine- ra, pharmaca, locorum mutationes, amœnitates, voluptateſq; deſiderent, neue maturiùs quã deceat, ſenes fiant,

 ea ne-

ea negocia me authore quærant, q cum otio affinitatem & cognation habere videantur, quæ ita dulcedin oblectent, vt etiam fructu ipſo co- mendentur. Nam qui ſacerdos ſunt, confeſſiones audire poſſunt mu multas, nec moleſtas, verſari cum illis qui in amore reſpondeant, longo in- teruallo verba ad populum facere, quædam obire domeſtica munera, le- ctionis, ſcriptionis, meditationis eſſe modus debet, nec eſt verendum, ne noxia capiti contẽplatio ſit, quæ nul- la animi contentione fiat, quamq; nullus ſenſuum conatus eliciat. Nam ſi afflictam valetudinem leuare mu- ca ſolet, liber cœli ſuſpectus, agri vi- ditas, riparum amœnitas, ſyluarũ, ne- morumq; luſtratio, ſi arborũ inſitio- nes, ſi peregrinatio, ſi pagratio, ſi ho- torũ cultura delectat, neq; ægrotanti- bus nó eſſe ſalubris reperitur: cur non mens ægro, affectoque corpore refici ac recreari poterit rerum aſpectu di- uinarum? præſertim vbi hæc volunta- te facimus, neque expectamus dum

ſigno

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſigno precationis dato genua cum il-
lis, qui valent, inflectamus. His enim
legibus ſolutus æger eſt, qui mentem
quo modo & quando poteſt, erigit ad
Deum, nec eſſe vlla cogitationis inten-
tæ debet expreſſio. Satis enim habere
debet ægrotus, ſi ſe Deo præpotenti a-
manter oſtendat, illaque ex Lazari ſo-
rorum prudentiſſima vſurpet epiſtola *Ioannis 11.3.*
ad humani generis vindicem & libe-
ratorem miſſa: *Ecce quem amas, infirma-
tur.* Grauem morbum, & qui mortem,
atque interitum minitatur, quo pacto
ferre debeamus & ipſa nos immortali-
tatis ſpes docet, & timor inferorum.
Illam capitis grauedinem, quæ te dies
noctéſque vexat, & malè habet, oris
gracilitatem, ſtomachi labores cibos
nunquam concoquentis, corporis im-
becillitatem, inualetudinemque per-
petuam ita ferre, vt neque aliis grauis
vnquam ſis, neque tibi inſulſus, acer-
buſque eſſe videaris, magnæ profectò
ſapientiæ eſt, & virtutis egregiæ. Ita-
que Antonius ille Madridius & ſui &
aliorum concionator eximius Socie-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tatis munera non illa eſſe ſolùm dice-
bat, coqui, obſonatoris, ianitoris, ae-
tui, Doctoris, Cōcionatoris, Rectoris,
Prouincialis, & cæterorum, quæ enu-
merare magnū eſſet, quorū omnium
leges tabellis deſcribuntur: nam ægro-
torum ſuum eſſe aiebat officium, cu-
ius leges non prætermiſit Ignatius;
quid enim ægritudinis tempore faci-
endum ſit, à noſtro eſt legislatore præ-
ſcriptum. quod ſi præſtamus iis, qui
rectè valentes ſua quiſque munera ex-
ercent, non inuidebimus. illos enim
perſtrenuè certantes, nullumq́; otio-
ſum ac tranquillum ſpiritum ducen-
tes valetudo ipſa ſuſtentat, ex renibus,
ex inteſtinis, ex pedibus, ex lippitudi-
ne qui laborant, qui febriculæ lento
igne paulatim ac ſenſim confici con-
ſumiq́; ſolent, quia valetudo naturalis
lætitiæ radix exaruit, & quia in mani-
bus nihil eſt, ſed omnia poſita longè,
Deum illis verbis inclamant: *Lætifica
animam ſerui tui*, ſeq́; immortali Deo
in tanta doloris diuturnitate ſacrifi-
cant, eſtq́; obedientiæ, & conſenſio-
nis ho-

*In examine, c. 4. §. 32. Conſtit. parte 3. c. 2. §. 17.*

nis hoſtia illa gratiſſima. perge ita facere, & vel in morbo valere, conſtanterq; illius cœleſte eſſe donum agnoſce, tibiq; perſuade, non valere melius eſſe, neq; enim tam multorum preces caſſe, irritæq; ſunt, ſed quia multo melior tua ſit in morbo cõditio, eum eſſe patitur bonitas diuina diuturnũ. quòd verò ægritudinis ac melancholiæ, illius inquam, quæ fruſtra ſuſcipitur, ne nomen quidem velis audire, tibi verè & ex animo gratulor. grauis mihi crede res eſt, tetra, funeſta, quæq; cum virtute & ſapientia habitare non poſſit: hanc omnino exterminemus, illas duntaxat contractiunculas relinquamus, quas non voluntas & inuitatio quædam ad mœrendum, ſed morbi & naturæ neceſſitas affert. Cura vt gratia apud Deum valeas, qui enim ita valet, is verè valet.

---

## IACOBO PERESIO.

*De fructuoſi ſapientis adiutoribus.*

NON poſſum dicere Pereſi optime, quoquo modo hoc

accipiatur, Societatis viros domeſtica curãtes confeſſionum, & concionum gloria carere: & ſi enim ſe non eſſe ſapientes profitentur, vel quia literas non didicerunt, vel quia non oſtenderunt, tamen quia ſapientum adiutores ſunt, pro ſapientibus haberi debent. Non hic de Ioanne illo Fernandes, nõ de Ludouico Almeyda loquimur, qui ſacrorum ordinum expertes, quòd Epiſcopi nulli eſſent, à quibus initiari poſſent, in inſula Iaponia innumerabiles in diuina lege inſtituerunt, & fonte ſacri baptiſmatis abluerunt, de te, mi Iacobe, tuiſque ſimilibus ſermo mihi eſt, quorum vita non minus ſalutaris, fructuoſaque eſt, quàm eorum, qui ſacerdotes ſunt, quiq; literata virtute hominibus prodeſſe ſtudent. Non enim benigniſſimus ille parens, quos propter ſe & videt eſſe ſollicitos, & ſedulæ, operoſæ, officioſæque illius virginis Marthæ ſorte contentos prolis ſuauitate deſtituit, liberiſque ſinit orbari, quorum quanta gignendorum auiditas ſit, Ra-

*Lucæ 10.*

chelis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

chelis declarat exemplum, quæ virum ſuum Iacobum his verbis quondam appellabat: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Tantum dolorem & ex ſororis fœcunditate, & ex ſua ſterilitate capiebat! Et quidem homini ad veram gloriam nato nil tam eſſe moleſtum ſolet, quã ita viuere, vt ſibi duntaxat vni, nõ etiam aliis natus, & in hanc lucem ſuſceptus eſſe videatur. Partus vero ille, quem mens nulla cum pudoris iniuria procreat, tanto eſt charior, quanto puriùs & digniùs generatur. cuius noſtri homines præter cæteros percupidi, & appetentes ſunt, nec quieſcere poſſunt, niſi Deo, quem intimis ſenſibus amare debent, quamplurimos aggregent, Eccesiæque regnum amplificent, quod exiguis definiri terminis dolent. quare quæ tua ſoboles ſit mi Iacobe, qui cùm literas didiceris, laicus tamen eſſe voluiſti, quæque illorum, qui in cœnobiis propter Deum humana procurant, & quanta progenies ſit, explicandum mihi eſt, illudq; ponen-

*Geneſ. 30.c.*

dum in primis, de quo nemo vnqua
ſapiens & ſanus dubitauit, religio-
rum familias cohortes quaſdam e
militares, quibus pietatis, probita-
q́ue hoſtes oppugnantur. Chriſtia
enim ditio, quæ ſuis eſt munita pr-
ſidiis vim arcet, irruentiumq́ue inim-
corum propulſat impetum, illius fr-
ta, defenſaq; numine, qui ſe in afflict
rebus præſto eſſe futurum ſpopond
*Matth. 16.c.* negauitq́ue inferorum valuas, id e
Cacodœmonum acies tales vnquam
ac tantas fore, vt Eccleſiæ firmiſſiman
arcem labefactent. Cumq́ue mona-
ſteria quaſi quædam caſtra ſint, vnde
milites prodeunt, quò feſſi reuertu-
tur: ſacri eorundem homines qui
concionari, docere, ſcelera expiare,
cumq́ue hominibus verſari iubentur,
pugnatorum imaginem gerunt: qui
verò domeſtica curant, his militibus
ſimiles ſunt, qui in caſtris relicti ſar-
cinas, impedimentaq́ue cuſtodiunt,
tuentur belli ſubſidia, iis, qui dimi-
cant, portum, perfugiumq; parant, in-
columitatemq; à tergo pollicétur. hos
illis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illis ipſis, qui hoſtes fuderint, Dauide
æquamus authore. Cùm enim Dauid
ex fortiſſimo milite clariſſimus impe-
rator Amalecitas ſecundo prælio ſu- *Reg. 1.c.30.*
peraſſet, opimaq; ſpolia hoſtibus ade-
miſſet, prædam omnem ex æquo par-
tiens nihilo ditiores illos milites exire
paſſus eſt, qui viciſſent, quàm qui lan-
guentes & feſſi ad ſarcinarum cuſto-
diam reſtitiſſent. quin etiam ex illo
tempore vim legis obtinuit, vt eorum
ſimilis eſſet conditio, qui gladio ho-
ſtem cæderent, quique in caſtris re-
manerent. A rege enim prudentiſſi-
mo, militariſq; artis ſciētiſſimo vtroſ-
que pari iure retinendos, & in eadem
trutina eſſe ponendos Iſraëlitę didice-
runt. Parua enim ſunt arma foris, ni- *Cicero 1. officior.*
ſi eſt conſilium domi. menſam ſternis,
cibos & epulas condis, etſi fames
pro condimento eſt, hortum conſe-
ris, ſupellectilem & curas & cuſtodis,
varia vitæ ſubſidia vndique apportas,
ſtipem cogis, vicos & oppidula perlu-
ſtras, vt profeſſa iſta domus alatur,
quæ annuos fructus habere nō poteſt,
neque

neque certa vectigalia, iſta niſi fu-
domi ſe Euangelicus interpres con-
neat neceſſe eſt, ſecurus vtagat, con-
cionetur, admoneat, de ſe non labo-
ret, aliis ſuccurrat, tu ipſe laborando,
currendo, æſtuando, algendoq́; peri-
cis, quid igitur impedit, quo minus in
victoriæ ſocietatem te poſſis offerre?
concionaris, dico apertè, doces, inſti-
tuis, confeſſiones audis, quandoqui-
dem te cibos coquente, & corporis ali-
menta comparante, ſacri operarij ani-
mi pabulum Chriſtiano populo largi-
untur. Quare teneamus iſtiuſmodi
adminiſtratores non modò rerum vr-
banarum, ſed etiam bellicarum gloria
clarere. Decertant non gladio comi-
nus, ſed ſagitta eminus, & telo morti-
fero, ſæpeq́; euenit, vt ab his capitali-
ſimus hoſtis vulneretur. Sic enim le-
gimus regem Achabum periiſſe: talis *Regum 3. cap. 22.*
etiam Abimelechi Gedeonis filij inte-
ritus fuit, quem mulier ex alta turre
percuſſu lapidis interemit. Quid? *Iudic. c. 9.*
quod ligone, veru, tridente, fuſte, la-
pidibus, iiſq́; ferramentis, quæ noſtri
fratres

fratres tam ſæpe ſumunt in manus, geri pugna commodè poteſt: mitto illud bellandi genus, quod tibi, tuiq; ordinis hominibus ſolet eſſe notiſſimũ: nam precum ſuarum quaſi tela criniti monachi, capillatiq; noſtri adiutores in hoſtes iaculantur. Moſe brachia in cœlum tollente, ſuppliceſque manus tendente Iudæi in acie ſtantes vincebant, ſimillimè vobis precãtibus Chriſtiani noſtri milites victoriam conſequuntur. Danda igitur noſtris his calonibus palma eſt, belliq; feliciter adminiſtrati gloriæ pars communicanda cum illis. Sæpenumero quòd vincimus, quòd ſuperamus, quòd viuimus, illorum, & ſedulitati, & charitati, & pietati acceptum ferre debemus. Niſi enim pugnãtibus nobis auxilium atque opem tuliſſent, vires ad prælia noſtrę torpuiſſent. Ergo Eccleſię Chriſtianæ vetus hæc conſuetudo eſt iam inde ab Apoſtolorum ducta temporibus vt aliis concionantibus, alij menſas, tricliniaq; procurent. Nam vt ſanctus Lucas in hiſtoria commemorat, creſcen-

*Exod. 17.*

*Actor. c. 6.*

*Actor. 6. c.* creſcente in dies numero Chriſtiano-
rum, Apoſtoli niſi illius cibi parandi,
quo corpus hoc alitur, curam depo-
nerent, Dei verbum commodè præ-
care ſe non poſſe, viderunt, eòque
viros ſpectatæ virtutis, & in iis claris-
ſimum Stephanum menſæ miniſtros
elegerunt, quorum etiam partes
erāt, vt miſericordiæ munera obirent,
egentium inopiam ſubleuarent, men-
dicitatemq́ue multorum paſcerent,
& Marthæ exemplo toties hoſpitio
Chriſtum ipſum acciperent, quoti-
es Chriſti nomine viatoribus & pere-
grinis menſam & lectum præpara-
rent. Quòd ſi is, qui Prophetam re-
*Matt. 10.* cipit, vti ex Euangelio didicimus, mer-
cedem Prophetæ accepturus eſt, ſe-
quitur, vt qui Euangelicum docto-
rem è Chriſtianæ adhortationis gym-
naſio reuertentem cibo recreat, do-
ctoris & concionatoris ſit præmio de-
corandus. Si enim fatemur, ab adole-
ſcente Saulo priuſquā Paulus eſſet, qui
nullum lapidem iecerat, ſed eorum,
*Acto. 7. c.* à quibus dilapidatio fiebat, quò id
arden-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rdentiùs ac ſtudioſiùs facerent, ve-tes aſſeruabat, Stephanum omnium acerbiſſimè atque acerrimè eſſe mul-tum: cur non dicamus, qui concio-num, confeſſionumque beneficio ex flagitiis emergunt, non de his mi-nus bene mereri fratres ſilentio do-meſtica tractantes quàm ſacerdotes concionantes? *Saulus plus ſæuiebat* (in-quit Auguſtinus) *omnes adiuuando, quàm ſuis manibus lapidando, in omnium enim manibus erat, qui omnium veſtimen-ta ſeruabat.* Similiter coquus, obſona-tor, œconomus, lignator, aquator in omnium ſunt ore concionatorum, qui omnibus concionatoribus cibum parare non deſinunt. Neque ſolùm fratrum ſedulitas, ſed multo etiam magis ſanctitas perditis hominibus ſaluti eſt: Nam neque qui plantat, ali-quid eſt, neque qui rigat, ſed qui in-crementum dat Deus, is effector eſt omnium. Qui quò à nobis reli-gioſiùs colitur, eò illius erga homines manus eſt largior. Fierique ſæpe ſolet, ut oratorum ſuadela multorum ex tacitur-

*Sermo. 1. de conuerſio. S. Pauli.*

*1. Ad Cor. c. 3.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

taciturni, laborioſiq́; fratris ſilentio virtute naſcatur. Deus enim conci-natoribus non ita ſanctis vim illam dicendi, & acrimoniam deeſſe non patitur propter illorum preces, à qui-bus ſanctè & auguſtè colitur: ita elo-quentiam parit infantia, oratoriſq; victoriæ fraterculum idiotam illum quidem, pium tamen & religioſum authorem habuerunt, diciq́; illud ſa-cris ſæpè adhortatoribus poteſt, *alij la-*

Ioan.4.c. *borauerunt, & vos in labores eorum intro-iſtis*. Quæ cùm minimè Franciſcus ille neſciret ſanctiſſimæ, atq; egentiſſimæ paterfamiliæ, verba illa ex Annæ Sa-

Reg.1.c.2. muelis Prophetæ matris cantico: *Do-nec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos*

In Vita S. Franciſci. *habebat filios infirmata eſt*, ſic Bonauen-tura teſte interpretabatur, vt diceret, copioſum partum iis ventribus fore attribuendum, qui ſteriles habiti eſ-ſent, illorumq́; rurſus orbitaté oſten-ſum iri, qui liberos, & prolem iacta-uiſſent, huiuſq́; admirandi ſpectaculi diem illum ſupremum indicem fore.

Gen.30.c. Vt enim Rachel, quos Bala pepererat,

filios

filios appellabat, & numerabat in
ſuis, ita plurimi concionatores, & ſa-
crarum rerum adminiſtri alienos par-
tus pro ſuis venditant, inaniq; lęti-
tia geſtiétes cùm infœcundi ſint, pul-
cherrimæ prolis ſatores ſe eſſe glori-
antur. Quanquam capillati noſtri
fratres non ſolùm hoc adiumenti no-
mine in re domeſtica, non tantum
quia pij, religioſique ſunt, ſed etiam
quia prudéter, ſalutariterque loquun-
tur, glorioſæ huius noſtræ militiæ
participes eſſe debebunt. Etſi enim
rem familiarem tueantur, tamen alta
iubentur ſpectare, & vbi ſe occaſio tu-
lerit, dataque facultas erit, ad confeſ-
ſioné ſcelerum inuitare illos debent,
quibus cum negociantur, illam imi-
tati ancillam, cuius admonitu Naa-
manus ille Syrus in Samariam venit,
vbi Heliſeo ſupplex fuit, & lepræ
curationem, ac medicinam inuenit. *Reg. 4. c. 5.*
Non concionantur? at quos poſſunt,
hortantur ad conciones audiendas,
non docent? at vbi ſit doctor oſten-
dunt. Non medentur animi vulne-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ribus? at authores leproſis ſunt, vt
Sacerdotibus indicent, & ne à lon-
ne refugiant, identidem rogare non
deſinunt. Ergo vobis gratulandum
meritò eſt, in quos cœleſtis ille dom-
nator tam plena manu beneficia co-
geſſit. Alta ſine inuidia, ſine dede-
core tenetis hæc infima. Chari ſunt
liberi? ſobolem propagatis, optabi-
animi tranquillitas eſt? in illam vo-
tanquam in poſſeſſionem venire l-
cet quotidiè, nil tam dulce, quam
res commentari cœleſtes & diuinas
hæc vobis facultas ſemper datur, D-
enim cùm ſimplicibus ſermocinatio-
nem eſſe ſolere teſtatur antiquitas,
quæ tam multos & anachoritas &
cœnobitas illiteratos habuit, ſancto-
*S. Athanaſius in vita D. Antonij.* tamen. Hoc vitæ genus ſapientiſſima
idiota ornauit Antonius, hoc ille,
qui vnius Dauidici verſiculi auditio-
*Pſal. 38.* ne contentus: *Dixi cuſtodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea*, ma-
*Pambus hic erat, vide hiſtor. Eccleſ. lib. 8. cap. 1.* ſtrum, à quo ſacras literas doceri co-
perat, non amplius adiit, ſatis putans
ſibi illud eſſe quod audierat, hoc Ser-
uulus

ulus literarum vſque eò rudis, vt *Lib. 4. Dialogo. cap. 14.*
ne legere quidem ſciret, ſed ita ſan-
ctus, vt de eo ſanctus Papa Gregorius
literis multa mandarit. Hoc Franci-
ſcus columen ſanctitatis, hoc Franci-
ſci innumerabiles ſectatores, quos ex
annalibus diſcimus, quorum vnus
Compluti iacet, quem tu & nomine *Hic in ſanctorum relatus eſt numerum à Sixto V. anno 1588.*
refers, & factis quoad potes, imitaris:
ex hoc ipſo numero laicus ille eſt, qui,
vt Hieronymus Oſorius Syluenſis
Epiſcopus ſcribit, idemque ſuauis *Libro contra Gualterum.*
orator, quoties vox hæc AMOR vſurpa-
batur, ſui imposruebat in terram, op-
preſſiſque & conſopitis ſenſibus iace-
bat immobilis. Noſtros non nouit,
quorum multos laudibus ſi nouiſſet,
extolleret. Nam Bernardus, Fulgen-
tius, Crucius, Leo, Gutterrius, Pradus,
Philippus, Ximenius, Ontannio, Frã-
ciſcus Martinus non concione, quòd
illiterati eſſent, ſed religione, & dome-
ſtica procuratione claruerunt. Multi
Ignatio Azebedio duce in illo ad Bra-
ſiliam curſu glorioſam mortem pro
Chriſto oppetiuerunt, neque ſe illo-

rum diſſimiles præbuerunt, quid
eandem Braſiliam concionaturi p-
perabant. Atque etiam ex Salſeta-
inſulæ inclytis illis quinque marty-
bus vnus Franciſcus Aranea fuit &
laicus, in quibus illud etiam mirabile
viſum eſt, quòd Idibus Iulij anni 15
interfecti pro Chriſti nomine ſunt,
quo ipſo die ab hæreticis annis ante
duodecim Ignatius, quem dixi A-
bedus, comiteſq; nouem & triginta
cùm Braſiliam, vt dixi, peterent, mor-
tem pro Chriſti nomine, & eius Eccle-
ſia ſubierunt. Miſericordiam diuinæ
literæ decantant; nihil iſto benignius
eſt munere, præclarum eſt, de huma-
no genere bene mereri, veſtra ſedul-
tas perficit, vt qui Sacerdotes ſunt,
pdeſſe hominibus poſſint. Niſi enim
ianuæ, triclinio, ſacrarum rerum cu-
ſtodiæ præficeremini (loquor enim
& tecum & cum tuis) ampla illa, egre-
gia, ſalutaria, quæ Societas ſuſcipit,
hominum vita requireret. Conſiſte-
re & concionari in templorum ſug-
geſtis & glorioſum, & fructuoſum,
ſem-

*Ioannes Soſa ab olla, & culina, quo in miniſterio ſociis aliquando deſeruerat, ad glorioſam martyrij coronam aſcitus nouum patribus, fratribuſq; ſolidæ virtutis ac ſubmiſſionis certamen iniecit. Maffeius, lib. 16. rerum Indicarum.*

ſemper eſt viſum, ab hac laude nemo
vos vnquam ſanus excluſit, qui toties
concionamini, quoties ſacris præco-
nibus neceſſaria miniſtratis. Quod
enim multis audientibus magnus ille
Pompeius, M. Tullio Ciceroni teſti-
monium dedit, fruſtra ſe triumphum
de externis Romani nominis hoſti-
busadepturum fuiſſe, niſi ſummo Ci-
ceronis in rempublicã merito, à quo
ſæuiſſima Catilinæ & ſociorum con-
iuratio compreſſa erat, locum, vbi tri-
umpharet, habuiſſet: idem operoſis
noſtris fratribus dari ſanè quàm verè
poteſt, nõ enim minus præclarum vi-
deri debet, vt qui longè à domo decer-
tant, habeant quò victores reuertan-
tur, quàm patefacere prouincias, re-
gioneſq; ignotas aperire. Nam qui ex
concionibus, confeſſionibus, peregri-
nationibus feſſi laboribuſque debili-
tati redeunt, in veſtra benignitate
conquieſcunt. qui ægrotant, eos ita
fouetis, vt *non vrbis delitias, non matris*
*quærant affectum*, quæ verba Hierony- *In Epiſtola ad Euſtoch. de Virginit. ſeruanda.*
mi ſunt cœnobitarum erga malè ha-

bentes charitatē antiquam extollētis. libet quid idem doctor hic maximus de ſanctis artificiis ſentiat, exponere, libet eadem ipſa verba proferre, quæ de Nepotiano dicta tuis iſtis artibus authoritatem, laudemq́; concilient. *Erat*, inquit, *ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſq; fuligine, ſi pauimēta terſa, ſi ianitor creber in porta, vela ſemper in oſtiis, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, ſi in omnes ceremonias pia ſollicitudo diſpoſita, non minus, non maius negligebat officium, vbicunq; eum quæreres, in Eccleſia inuenires. Nobilem virum Q. Fabium narratur antiquitas, qui etiā Romanæ ſcriptor hiſtoriæ eſt, ſed magis ex pictura, quàm ex literis nomen inuenit. Et Beſelehel noſtrum plenum ſapientia & ſpiritu Dei ſcriptura teſtatur. Hyram quoq; filiū mulieris Tyriæ, quòd alter tabernaculi, alter templi ſupellectilem fabricati ſunt. Quomodo enim lætæ ſegetes, & vberes agri interdum culmis, ariſtiſq; luxuriant, ita præclara ingenia, & mens plena virtutibus in variarum artium redundat elegantiam. Vnde & apud Græcos Philoſophus ille laudatur, qui omne, quo viue-*

*In Epitaphio Nepotiani.*

*Exod. 31.*
*3. Reg. 5.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*uteretur, vſq; ad pallium, & annulum manu ſua factum gloriatus eſt. Hoc idem poſſumus & de iſto dicere, qui baſilicas Eccleſiæ, & martyrum conciliabula diuerſis floribus, & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbrarit.* Hæc ille, quæ declarant eas artes, quæ manibus exercentur, maximis hominibus indignas non eſſe, tibique Societas non minus iſto nomine debet, qui cùm in omni literarum genere viguiſſes, tamē illa libenter agis, quæ corpore geruntur & viribus, tibique mater pro pietate præmium optat à Deo, quod maximum, quodq; ſempiternum illis in cœlo paratur, qui arrogantia & faſtu caruerunt. Argiæ Sacerdotis Cleobis & Biton filij prædicantur, nam cùm matri ſolenne, ſtatumq; ſacrificium inſtaret, & eundi tempus vrgeret, morarenturq; iumenta, veriti ne aut ſeriùs, quàm fas eſſet, mater accederet, aut indigniùs, quàm ſacrificij ius poſcebat, graderetur, veſte poſita, corporibuſque oleo perunctis iugum ſubierunt, parentemque & tempeſtiuè & hone- *Cicero in 1. Tuſcul.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtè ſatis longè ab oppido in fanum a-
uexerunt: tum mater precata eſſe
Dea dicitur, vt liberis mercedem p
pietate redderet, quæ omnium ma-
ma eſſet, quæ ſi in illis duobus fabula
fuit, hiſtoria certè quidem in vobis cl
Chriſti currum portantibus, alacriter-
q́ue trahentibus. veſtem ponitis, cer-
cem ſubmittitis, collum, dorſum, a
humeros oneratis, ſtabulum purgati
non illud Augiæ, cuius tamen mun-
ties, ſi fabulas audire volumus, Hercu
laudi fuit, terrã ſubigitis, corporiſq́
defatigatione animum ab omni labe
purum, integrumq́ue ſeruatis. Quo
autem loco qui in iſto labore, mun-
req́ue verſantur haberi debeant, ex
Romano Pontifice Gregorio VII. di-
ce, cuius ego diplomatis quo ſancti
Benedicti celeberrimum quoddam
in Germania monaſterium approbat,
confirmat, extollit, verba notaui, quæ
ſic habẽt: *Nonnulli pro amore Chriſti con-
uenerunt, huius feruoris, huiusque humili-
tatis, vt eis non tam libeat haberi pro mona-
chis, quam pro ſeruis monachorum, & vltro*

*Tritemius in hiſtoria monaſterii Hirſaugienſis.*

*ſe obtu-*

*ſe obtulerint ad miniſterium coquinæ, piſtrini, & aliarum humanarum neceſſitatum, quod planè tanto maioris eſt meriti, quantò expreſsiùs illum imitantur, qui cùm ſit cæleſtium virtutum imperator, tamen homo factus in hunc mundum venit, non tam miniſtrari, quàm miniſtrare.* Hucuſq; Pontifex, quæ me ita verba delectant, nihil ut illis iucundius legerim. hæc igitur cauſa eſt, cur hæc infima tantopere noſter pater Ignatius adamauerit, primi Societatis patres tam ſæpe in culinam venerint, cuiuſque prouinciæ optimates, ipſeque generalis lances lauet, doctiſſimi & nobiliſſimi quique ligna comportent, focum extruant, ægrotantibus præſto ſint, & maximi illius Gallicani imitatores ſe præbeant. quid alibi fiat, neſcire me fateor, nec enim in aliena republica curioſum me eſſe delectat. De noſtra familia hoc verè affirmabo, non hominum conditionem, ſed mores & vitam obſeruari. honos habetur iſti ordini, vitaque fratrum laborioſorum & à multis expetitur, & ab omnibus honoratur.

multi viri nobiles apud nos diuæ Mar-
thæ miniſteria perpetuò tractanda
ſuſceperunt, neque vlla ratione pel-
ſunt à ſententia deduci. quia nimirum
optabile illud eſſe munus exiſtimant,
in quo ſumma eſt tranquillitas cum
ſumma honeſtate coniuncta. itaque
ſe libentiſſimè laboribus domeſticis
addixerunt, auremque quod eſt
voluntariæ ſeruitutis inſigne, perfo-
rauerunt, illius exemplo qui dixit:
*Eſaiæ.50.* *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem*
*non contradico*. Quæ cum ita ſint, gratu-
lor tibi Pereſi optime, & illis etiam,
qui iſto vitæ genere delectantur. cuius
muneris Sanctiſſimæ virginis ſanctiſ-
ſimus ſponſus Ioſephus anteſigna-
nus erit, & ductor, quem ſcimus Dei
filio, cùm eſſet in terris, eiuſque ma-
tri puriſſimæ atque integerrimæ præ-
ſto fuiſſe, & ad victum & cultum ne-
ceſſaria miniſtraſſe. Vale. Tibique
perſuade laboris tui Societatem nun-
quam immemorem fore, quæ illud ex
*Capi.33.* Eccleſiaſtico recolit *ſi eſt tibi ſeruus fi-*
*delis, ſit tibi quaſi anima tua.*

Cvi-

## CVIDAM MAGNO OPERARIO.

*De iis iuuandis, qui morti vicini ſunt.*

INtempeſtæ noctis vigilias morituris dedicamus animãque agentibus præſto ſumus, & charitatis hoc opus ex Societatis inſtituto exercemus. nullum enim aliud eſt tempus, in quo nequiores comparentur inſidiæ, & à teterrimo hoſte grauiora pericula hominibus intendantur. Siquidem neruos omnes diabolus in eo contendit, vt qui turpiter vixerit, ſui ſimilis in morte perſeueret, qui autem minimè malus fuerit, turpiſſimo interitu virtutes obruat, & contaminet extremũ tempus ætatis. Quem in finem vitæ ſuperioris errata ſuggerit, Dei arcana, & recondita conſilia ſenſibus obiicit, iudicandi ſeueritatem amplificat, tartarorum æterna ſupplicia ponit ante oculos, morbi doloribus ac tormentis abutitur ad perniciem morientis, faſtidia ingenerat, metus grauiſſimos inuehit, nefarias cogitationes immittit,

*Concilium Tridentinum ſeſſione 14. de Sacramento Extremæ Vnctionis, in ipſo proemio.*

mittit, patriæ, parentum, ac propi-
quorum deſiderium renouat, vitæ a-
morem alieniſſimo tempore in a-
mo imprimit, id quod Anthores ille
Virgilianus oſtendit,

*Æneid. 10.* *Sternitur infelix alieno vulnere, cælumq;*
*Aſpicit, & moriens dulces reminiſcitur Ar-*
*gos.*

Quidquid enim ad extinguendam
charitatem valet, humani generis ad-
uerſarius adhibere non deſinit. He-
*Pſalm. 17.* ćque Dauid mortis gemitibus, & infer-
ni doloribus ſe eſſe clamitat circum-
ſeſſum. Vt enim qui arcem expugna-
re vult, omnes aditus obſeruat, exitus
obſtruit, portas claudit, curatq; quan-
tum poteſt, vt qui intra mœnia ſunt,
circunclusi teneantur, ſic noſter ille
hoſtis antiquus quos mors obſedit, in
eis horribiles cuſtodias circundat, vt
ſe commouere non poſſint. In has
*D. Hieronymus in vita Hilarionis.* anguſtias adductus extimeſcit Hilari-
on, Agatho exalbeſcit, Arſenius per-
turbatur, triumq́ue maximorum vi-
demus grauem eſſe timorem in mor-
te. Sed quid tam metuendum, quàm
quod

quod de illo Stephano vitæ admirandæ viro Climacus narrat, ſanctus author & grauis? Hic cùm ſe ex monaſterio ad ſolitudinem perfectionis cauſa contuliſſet, multoſque annos ei ſe vitæ dediſiſſet, quæ cœleſtis magis & angelica, quàm humana videretur, cùm à nullo aſperitatis genere refugiſſet, nullamq; voluptatem, niſi quæ ex virtute percipitur, deguſtaſſet, in morbum, mortemque incidit: diſcipuli & ægrotanti, & agenti animam adfuerunt. Stephanum iam iam moriturum oculis apertis lectuli partes omnes luſtraſſe Climacus narrat, & quaſi ſe rogantibus atque vrgentibus nunc ſic reſpondiſſe, ita ſanè, ſed iſta ieiuniis expiaui, nunc ita, nego me feciſſe, mentiris, & verba das, interdum ſe arguentibus illo modo occurrebat, aio, atque annuo, ſed ploraui, & hominibus, vt iſta redimerem, Dei amore ſeruiui: viſus eſt etiam ita loqui, verè me, ac iuſtè accuſatis, nulloque alio in iſta re, quàm diuinæ clementiæ mihi licet vti perfugio.

*Gradu 7.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gio. Horribile profectò auditu, ta-que horribilius ſpectaculum mun-di huius, ſeueri, ſtrictiq; iudicij. Quid faciemus qui molliter viuimus, quan-do Stephanus, & is Stephanus, qui to-tos quadraginta annos monachus fue-rat, lacrymarum ingentem vim pro-fuderat, leoni pardo cibum manu porrexerat, quod ſanctitatis argumen-tum eſt, ad quædam vitæ errata nega-bat ſe poſſe reſpondere? Cuius hoc ipſo exemplo admoneor, vt de con-firmandis his, quibus mors imminet, non quidem aliqua præcipiam, ſed libelli illius lectionem ſapientibus fructuoſis ſuadeam, quem Ioannes Polancus de adiuuandis morituris ſcripſit. Dæmones enim nihil non tentant, vt Chriſtianorum illa ipſa hora vel fidem deprauent, vel ſpem omnino labefactent: quibus erit à fructuoſo ſapiente conſulendum. Dubiis quidem hæſitantibuſque diſ-cipulis Stephanus ille, quem dixi, ex-ceſſit è vita, qui ſi noſtris his tempori-bus obiiſſet, adeſſentque diſcipuli, ſo-

lus cum

ius cum hoſte minimè certauiſſet. Pugnarent pro magiſtro, & cum magiſtro diſcipuli, opem & auxiliũ quàm diligentiſſimè ferrent. Hinc illa Lauſi apud Virgilium præclara laus, quòd *Ænei.10.* patrem ab Æneæ ictu & à certiſſima morte defenderit. Crœſi Lydorum *Vale.Max. lib.5.c.4.* regis filium & eum mutum præter conſuetudinem, & naturam vocem edidiſſe accepimus, cùm patri necem videret afferri. Neque vero hæc eò diſputo, quòd Stephani anachoritæ diſcipulos officium non præſtitiſſe arbitrer. Qui ſi fortè in ſui patris acerrima illa pugna tacuerunt, neque magiſtrum vocibus confirmauerunt, quem interdum non ſatis animoſum eſſe ſentirent, patris ſanctitatem, authoritatemq; reueriti tacuerunt, cum interim precibus, lacrymis, cilicio, ieiuniis, intimoque ſermone paſtori ſuo in extremum adducto diſcrimen ſubuenire nõ intermitterent. Quid enim morituris preſtare debeamus, Dauid & Rex & Propheta nos docuit qui pro agente animã filiolo ſupplex Deo opt. *2.Reg.c.12.* max.

max. fuit, plorauit, eſuriuit, cinere caput aſperſit, corpus afflixit, in terra iacuit, nullumq́; paterni amoris officij prætermiſit. Neque verò eſt dubitandum, quin laborum, vigiliarum, pœnarum, religioſæq́; vitæ fructum Stephanus, quem iam ſæpè nomino, comperit, multa enim mi Petre accidunt in ſpeciem horrenda, re, exituq́; ſalubria: vt qui in vita relinquimur, huiuſmodi exemplis moueamur. Enim verò ſi qui morti vicinus eſt, animoque ſuccumbat, erigendus, incitandus, confirmanduſq́; erit, vtq́; omnia proſpera ac felicia de Dei infinita bonitate & clementia ſibi promittat, monendus. Quem in finem legendus ille liber diui Ioannis Chryſoſtomi de lapſis, Ambroſij de pœnitētia, horum enim præceptis adiutus etſi labi moribundus incipiat, tamen illico deſinet, & vt miles, qui terga vertebat, & ſeſe iamque dabat in fugam, ducis admonitu reuocatus dignitatem tuebitur, fidei, ſpei, & charitatis armis tectus obſiſtet, & cùm cœli quaſi lumen aliquod

aſpex-

aſpexerit, nihil eſt, quod vt illo frua-
tur, non paratus ſit & ferre & perpeti.
Sin auté horribiles ſpecies oculis ob-
verſentur, ſi cacodæmones inſtent, &
immineant, eſt qui vertat in fugam.
Chriſtus IESVS humani generis libe-
rator & vindex, cuius cruci affixi ima-
go morienti proponenda eſt, atque
ita exclamandum. Hæc eſt illa mor-
tis mors amice, ne timeas. Adeſt,
adeſt qui de morte triumphauit, qui
inferos ſpoliauit, quique funus fune-
re pepulit, afflixit, profligauit. Hanc
petram mors momordit, & dentes a-
miſit, ô charitatem inauditam, ô cle-
mentiam inexplicabilem, ô amorem
ſingularem. Hic nempe ille eſt Io- *Ionæ. 2.*
nas, quem immanis bellua vorare qui-
dem potuit, ſed necare non potuit,
quem Moſes adumbrauit ereptus ex *Exod. 2.c.*
aquis, cuius figuram Daniel prætulit, *Danielis 14.c.*
qui à leonibus permanſit intactus,
quem Ioſephus præmonſtrauit edu- *Geneſ. 41.*
ctus è carcere, capite raſo, & mortali-
tatis crinibus amputatis. Ex hoc fon-
te vita manauit cuius tactione mors

amara dulceſcit, triſtiſq; ille Lethæ fluuius hilaratur. Vt enim aqua pol- lens cùm ſalubrem venam attigit, ſa- lutaris efficitur, ita mors, quæ ſolebat eſſe peſtifera, poſteaquam ad vitam acceſſit, vitalis eſt facta. Huius auſpi- ciis vincenda mors iſta eſt, & denuò corpus aſſumendum. Hic omnia cõ- cuſtodit, hic membra, quæ mors tan- quam altera Medæa diſſipauit, & diſcerpſit, redintegrat, colligit atque coniungit'. Hoc iubente cuncta re- naſcentur, & mortui reuiuiſcent'. Ni- mirum hæc illa vitalis eſt arbor in Ec- cleſiæ conſita paradiſo, quam Chri- ſtus vitis vera complectitur, cuius ex corpore ſanguis vi tormentorum ex- preſſus eſt, & tanquam torcularis pre- lo contortus, vt eo delibuti percutien- tis angeli gladium fugiamus'. Salue

*Exod. 12.*

crux, per quam ſalui ſumus'. Aue benigniſſime IESV, mortis, Erebi- que vexator, ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos penitus, totoſ- que tradimus'. Hanc is, cui tu mi Pa- tre morienti præſto fueris, oſculetur,

colat,

colat, ſumat in manus, verbiſque & amātibus, & honorificis proſequatur. Fieri non poſſe Tullius exiſtimat, vt ille timeat, quem nauigantem prædones inſequantur, ſi Deum admonentem audiat: *Eiice te de naui, præſto eſt qui excipiat vel delphinus, vt Arionem Methymneū, vel Pelopis illi equi Neptuni, qui per vndas curros ſuſpenſos rapuiſſe dicuntur.* Christianus verò quid timeat, vel eiectus è naui, id eſt, occiſus à tyranno, vel facto vitæ naufragio, cum præſto ille ſit, *qui Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur, erexit, & Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit*; Sanctiſſimam Virginem moribundus appellet, cuſtodem Angelum inuocet, cœlitumq́ue omnium fauorem imploret. Conandum autem maximè eſt vti ſe apud DEVM in gratia ponat is, cuius artus vehementer laborant, vtq; ſacramenta percipiat, quibus ſcelerum dolor ex imperfecto pfectus efficitur. Cùm enim ingemiſcit qui peccauit, *excitat & crebris languentem flatibus ignem*, ſi ſcele- 2. Tuſcul.

ra confeſſus abſoluitur, ſi ſacratiſſi
CHRISTI corporis viatico abeunte
proſequare, ſi à medicis deſperatum
ſancto vngas oleo,

*Virg. in opuſcul.* *Tandem cõcepto tenebræ fulgore recedent*

Licet enim admiſcere verſus orationi, præſertim ſi boni poëtæ ſint, & loco adiungantur. Quinetiam expiatorios calculos ad leuationem pœnarum, quæ luendę reſtant, Sacerdos adhibebit. Moneatur æger, vti animum intendat ad firmitatem, vtq; molliſſimas cogitationes fugiat, nec cum A-

*Reg. 1. c. 15.* malecitarum pinguiſſimo illo rege dicat, ſiccine ſeparat amara mors? quare abeſſe illi debent, qui vel ipſo aſpectu morientis animum perturbare poſſint. *Quod ſi Ceraſtes in via, coluber in ſemita vngulam equi mordebit, vt cadat*

*Geneſ. 49.* *aſcenſor eius retro*, cum Iacobo illo ſtrenuo pugile ad diuinæ ſalutis ſpem, velut ad arcem confugiat. Quid autem piæ preces, quid iuſtorum præſentia è vita excedentibus proſit, Theodori monachi oſtendit hiſtoria, quam diui Gregorij Papæ ipſis verbis exponam.

*Inquit*

*Inquietus valde Theodorus nomine puer fuit, qui in monaſterium meum fratrē ſuum neceſſitate magis, quàm voluntate ſequutus eſt. Cui nimirum graue erat, ſi quis pro ſalute ſua aliquid loqueretur. Bona enim non ſolùm facere, ſed etiam audire nolebat. Nunquam ſe ad ſanctæ conuerſationis habitum venire, iurando, iraſcendo, deridendo teſtabatur. In hac autem peſtilentia, quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte conſumpſit, percuſſus in inguine eſt perductus ad mortem. Cumq́ extremum ſpiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egreſſum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema parte fuerat præmortuum, in ſolo tātum pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tantò pro eo cœperunt enixiùs orare, quantò eum iam videbant ſub celeritate diſcedere. Tunc repentè cœpit eiſdem fratribus aſſiſtentibus clamare, atq́ cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere dicens, recedite, recedite, ecce draconi ad deuorandum datus ſum, qui propter veſtram præſentiam deuorare me non poteſt. Caput meum iam ſuo ore abſorbuit, date locum, vt non me ampliùs cruciet, ſed faciat*

Lib. 4. dialog. c. 37.

*ciat quod facturus eſt, ſi ei ad deuorandum datus ſum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere, quid eſt quod loqueris frater? ſignum tibi ſanctæ crucis imprime, reſpondit ille dicens, volo me ſignare, ſed non poſſum, quia ſquammis huius Draconis premor. Cumq; hoc fratres audirent, proſtrati in terram cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs orare, & ecce ſubitò cœpit aeger clamare, dicens, gratias Deo, ecce draco qui me ad deuorandum acceperat, fugit, orationibus veſtris expulſus ſtare non potuit, pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus ſum, & ſecularem vitam funditus relinquere.* Homo ergo, qui *ſicut iam dictum eſt, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reſeruatus ad vitam toto corde ad Deum conuerſus eſt, & poſtquam mutatus mente diu eſt flagellis aſtrictus, tunc eius anima carne ſoluta eſt.* Hæc Gregorius, quæ piorum erga morientes miſericordiam excitare meritò debent, Theodorus enim illorum precibus, qui lectulum circunſtabant, & mortis & inferorum pœnas

pœnas effugit. Ego ſimiliter multos tuis precibus, piaque opera liberatos ſpero. Vale, & morituri benedictionem ad te perueniſſe crede, cuius officioſiſſimus ille Iob ſæpe fuit particeps. *Iob. c. 29.*

---

# EIDEM,

## *De illis conſolandis, quos mors orbarit.*

ILLIS te adeſſe libenter, qui è vita migrant, & eos conſolari ſolere, quorum flebilis orbitas eſt, gaudeo vehementer: ille enim verè miſericors eſt, qui vbi iam moribundos adiuuerit, orbos conſolatur. Ioannes ille Alexandrinus Patriarcha, cui cognomen miſericordia ipſa dedit, ad illorum, qui in extremum certamen venerant, lectulum aſſiſtebat, morientes armabat ad pugnam, mortuorum oculos manu claudebat, qui autem à morte intacti, in mendicitate viuerent, quam mortis inſtar homines putant, eorum inopiam ſubleuabat. Nos igitur vbi mortuis offi- *Ex Leontio in vita Ioannis eleemoſynarij apud Metaphraſten, de vitis ſanctorum, menſis Februarij.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cium præſtiterimus, viuos conſo-
mur: nec matrem, vxorem, ſororem,
filiolos, nepotulos, afflictoſq́; cogna-
tos lacrymis conſeneſcere patiamur.
Summorum dolorum ſolatia, fomen-
taque adhibeamus ex ſacris literis,
doctoribuſque depromptæ. Eſt enim
illud in hoc genere luctuoſum & tri-
ſte, vt qui vnus omnia ſuſtineat, con-
iugem & liberos vtcunque ſuſtentet,
qui manibus victum quærat, quique
de nubili filia collocanda cogitet,
alieniſſimo tempore excedat è vita.
Quid tam miſerum, quàm ſeduli opi-
ficis, operoſi, diligentis, induſtrij im-
maturo obitu vxorem & eam fortaſſe
mancam ac debilem, quæ ſe loco mo-
uere non poſſit, iacere in fletu, miſe-
rè conflictari, egere paruulos filios,
diſſipari, in eaſque anguſtias vitæ
compelli vt cibum oſtiatim petere
neceſſe ſit, in quo illud eſt maximè
timédum, ne ad mendacitatis paſtum
alienas arculas furaciſſimè perſcru-
tentur. Quis non doleat boni viri,
bonis ciuis, boni patrisfamiliâs abim-
perioſis

perioſis mulierculis raptari filias, torqueri, vexari, pulſari, quæ verò hanc ſeruitutem ſeruire nolint, turpiſſimas fieri concubinas? quæ mala bene cordati, attentiq; patris vita diuturnior impediret. His igitur mi Petre malis, & grauiſſimis quidem malis quantum poterimus, obſiſtamus. Hæc enim qui curant, non verbo & lingua ſibi naturæ lege proximos diligunt, ſed opere & veritate. Neque vero minor eſt opulentæ domus ærumna. Illo enim mortuo, qui fortunatam domum, qui nobilem & claram familiam authoritate ornabat, conſilio regebat, opibus ſuſtentabat, pudicitia corruit, virtus eliditur, ordo perturbatur, ſanctitas maculoſa redditur, fortunæ vexantur, & rerum omnium ſplendor obſoleſcit. Quid damni literę faciant illis amiſſis, in quorum patrocinio nitebantur, notius eſt, quàm vt oratione debeat exponi. Sæpenumero qui tenuiorum ſtudia fouebat, Chriſtianus Mæcenas & pius, qui rebus cognoſcendis ocium dabat & li-

*Ioan. 1. c. 3.*

bros, cognitis honores ac præmium pollicebatur, iſq́ue erat, qui promiſſa præſtare poſſet, inſperata morte noſtris eripitur vel propinquis vel amicis, eoq́; lugendo, egendoq́; progredi ſolent, vt vel literis nuncium remittant, vel multo impeditiores ad ſtudia reddantur. Quid ego iacturam pecuniarum, quid damna prędiorum, quid agrorum vaſtitatem, quid vectigalium, fructuumq́ue diminutionem, quid fortunarum naufragia, commemorem? quæ vnius ſæpe hominis immaturum obitũ conſequuntur. Equidem huiuſmodi lamentationes nullo nõ tempore cogor audire, quid agam? quæ iam ſatis ima dehiſcat terra mihi? Quo me vertam? quis mihi in tanta rerum neceſſariarum inopia ſubueniet? & manum porriget ſalutarem? à quo tam commodè alar, ac reficiar, quàm apud *Mecænatem* meum lautè diuerſabar? in illo homine omnia mihi erant, & cũ illo omnia mihi perierunt. O mors inuida, crudelis, acerba, terribilis, quæ me paulo ante parentibus

orbaras,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

orbaras, nunc patrono priuauiſti, & eo patrono, per quem reuixiſſe mihi videbar, & à mortuis extitiſſe. Quid perdas inimica, & miſerrimo mihi parcere perſeueras? Videlicet ſæuitia tibi grata eſt, & dira peruerſitas: eum enim viuere ſinis, cui mori eſſet expediens, illum extinguis, in cuius anima plurimorum vita cõſiſtit. Nil te lacrymæ mouent, nil luctus, nil hic dolor, nil illorum indigentia, vel potiùs mors, quos ille ſuo non fouebat ſolùm & calefaciebat, ſed etiam formabat, figurabat, colorabat, & animabat amplexu. Angeli te perdant, & vltra omnes tuos mortuos amandent, itaque ſepeliant, vt emergere non queas, aut ſi ita lubebit, ſociam Promethei ad Caucaſi rupes affigant, vel quia fabulis in re tam ſeria locus eſſe non poteſt, à præclaro illo Tobiæ cuſtode Raphaele cum Aſmodæo omni diritate, *Tobia 8.* atque immanitate teterrimo ita in ſuperioris Ægypti ſolitudine vinciaris, vt ex vinculis euolare non poſſis. Hæc intra parietes illi ingemiſcunt,

ſcunt, quos hæc bellua cruentauit.
Quos admonere, conſolari, mulcere,
&cùm ſeſe occaſio dederit, potentio-
ribus ac locupletioribus commenda-
rede bemus. Gratiſſimum enim Deo
eſt quidquid in egenté, anxium, mœ-
ſtum beneficij confertur. Quod eò di-
ligentiùs curandum erit, quò plus di-
gnitatis in eo eſt, qui à fortuna vulnus
accepit. In conſolatione autem vitan-
da acerbitas eſt, qua vulnera recrude-
ſcunt. Illaq; amicorum Iobi & impro-
uida, & inuiſa ſeueritas fugienda, quo-
rum fuit lingua tanquam vnguis in
vlcere, multi enim religionem, chari-
tatem, diuinæq; laudis ſtudium pro-
feſſi nil minus aſſequuntur. Tu verò
vigila, vt facis, & media de nocte ad
illos iuuandos aduola, quos illa ipſa
hora æternus iudex euocarit. Tibiq;
perſuade hæc noſtra erga morientes
officia, hæc etiam illorum, qui in lu-
ctu & ſquallore verſantur, ſolatia non
minus nobis eſſe ſalubria, quàm illis,
in quos conferuntur. Choreas, ludos,
conuiuia ſine nobis agitent, ſuas po-
pula-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſingularibus voluptates & oblectationes relinquamus, neq; iſtiuſmodi rerum nos communio, ſocietaſq; delectet, luctus tamen, angores, lacrymas curemus eſſe communes. Neque nos pigeat laborum ac moleſtiarum eſſe participes. Magnam habet mortis commentatio neceſſitatem, quotieſcunq; enim vel morientibus præſtò ſumus, vel mortuorum propinquos, cognatos, ac neceſſarios conſolamur, noſter nobis finis venit in mentem, noſq; ad bene moriendum bene viuẽdo comparamus. Quis enim tam ſit ſtupidus, tam ſtultus & amens, qui hæc fragilia, infirmaq; non contemnat, ſimulatq; de morte cogitare acerrimè cœperit? Quæ formoſa deformat, diuitias extorquet è manibus, principatus adimit, imperia labefactat. Morte aduentante pulchritudo corrumpitur, frons erecta deiicitur, os pallet, cuius rubor & candor omnium ad ſe oculos rapiebat, naſum macies extenuat, quem nemo videbat, quin amaret, ſordeſcũt candiduli dẽtes, quibus cedebat ebur,

vox

vox illa & ſuauis & acuta deficit, eloquens lingua balbutit, brachia conſiſtunt, crura rigent, pedes glacie mortifera torpent. Sequitur oculorũ tetra caligo, creber anhelitus, totius corporis ſudor, & anguſtiæ ſpiritus interclusi. Hos nuncios mors horrenda præmittit: ſed nihilo mitiora, melioraque illa ſunt, quæ obitum conſequuntur, mortuos deſpicabili lino inſui, inuoluiq; videmus, ſepeliri, oppleriq́ue terra, vermes exiſtere, fluere, renaſci, miſceri, carnem exedere, oſſa rodere, terram quaſi eſurientem paſtu membrorum ſaturari. Quòd ſi poſt breue temporis interuallum corpus, quod obrutum eſt terra, reuiſas, membra à membris diſiecta ac diuulſa inuenies. Sume caput in manus, horribile vide caluitium, dentes partim eductos, partim fixos intuere, aſpice, vt ille dixit, truncos, inhoneſto vulnere nares, oculorum, ac luminum vacuam ſedem & inanem contéplare, apparet exilis porta, illæque anguſtiæ, per quas cibus dentibus manſus atque

*Æneid. 6.*

conſe-

onfectus demittebatur in ventrem, rachiorum, manuum, femoris, tibiaum, ac pedum ſtabilimenta aut on extant, aut alia alibi ex cætera nembrorum compagine diſperſa & iſſipata iacent, quorum difficilior ollectio ſit, quàm Abſyrti fuerit, quem ſoror ſæuiſſima dilaceraüit: vt neritò in his cadaueris reliquiis exclanare poſſimus, hæccine eſt illa Iezabel? Quare hoc commentemur, mihi rede, & in hoc nos ipſi ſpeculo cernamus, hæc enim ſi facimus, & à itiis, & ab opinionum prauitate ugiemus, Vale.

*Cice. pro lege Manilia.*

*Reg. 4. c. 9.*

---

CVIDAM DE MORTE SApientis.

ETſi ſtultorum infinitus eſt numerus, tamen Chriſti Eccleſia velut fœcunda mater innumerabiles tulit ſapientes. Sapientes nim illi ſunt, & planè perfecti, quos liber ille complectitur, qué tu ex Latino Hiſpanum reddidiſti: qui quòd uiuſque diei Martyres, Confeſſores, Virgi-

Virgines, quorum iniri numerus potuit, diligentiſſimè, veriſſimeq; recenſeat, digniſſimus eſt, quem relegant omnes eò ſtudioſiùs, quò eſt te interpretãte intellectu, cognituq; facilior. Et nimirum hic eſt ille fortium virorum catalogus, quem in Regum extremo ſecundo Scriptura commemorat. Quàm autem veri ſapientis præclara ſit mors, Dauidis verſus oſtendit, quem verſum lecto martyrologio, cuius tu, vt diximus, fidelis interpres fuiſti, peropportunè Eccleſia decantat:

*Pſal. 115.* *Precioſa,* inquit, *in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Hæc eſt incorrupta vox de excellente virtute iudicantis Eccleſiæ, hæc glorioſa laus, quæ virtuti reſonat tanquam imago voci. Hæc ſolida quædam res eſt, eminens, expreſſa, tractabilis. Ex quo intelligitur ſapientis non modò vitam, ſed etiam mortem eſſe fructuoſam. Equidem ſanctorum hominum res ego & facta conſiderans facere non poſſum, quin nomina ipſa commutem, vitamq; mortem appellem, & mortem vitam: quæ enim

enim appellatur vita, mors eſt, propterea quòd ita viuant, vt ſeſe quàm longiſſimè à corporibus diſiungant, mentemque abducant à ſenſibus, & cum diuo Paulo quotidiè moriantur: *Secernere enim animum à corpore, nequicquam aliud eſt*, vti Cicero dixit, *quàm mori diſcere*. Huiuſmodi mortem qui fructus conſequatur, Euangelij verba illa nos docent: *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Nam qui ſibi nulla in re obſequitur, qui non iraſcitur, non inuidet, qui nil ſuſpicit, niſi quod laudabile eſt, vnaque virtute contentus humana contemnit, huic iam profectò vt moreretur, euenit, & in beatæ cuiuſdam pacis portu & quaſi ſepulchro à malis conquieſceret. Et quia qualis quiſque eſt, talis eſſe ſolet & ſenſus & ſermo, noſter hic mortuus de morte cogitat, de morte loquitur. Et quoniam nulli exploratum eſt ad veſperum ſe eſſe victurum, huius exemplo nos vigila-

*1. ad Corinth. 15.*
*1. Tuſcul.*
*Ioan. 12.*

re, adeſſe, & in Chriſtiana quadam ſpecula permanere debemus. Nam fidelis ſeruus, vt Euangeliſtæ prædicant, cùm ignoret, quando Dominus ſit à nuptiis reuerſurus, vigilat, pernoctat, excubat, vt hero redeunti præſto ſit, & fores aperiat. Ita fit, vt ſapiens à mortis commentatione non recedat, à proſpera fortuna adulari ſe non ſinat, vitæ diuturnitatem ſibi non promittat, nullum veſtigium faciat, quin diem vltimum recordetur. Quod philoſophandi genus quàm ſalutare ſit, nõ modò Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorij, Bernardique doctrina tradit, ſed Socratis etiam & Platonis præceptis explicatur. Neque verum illud eſt, inſuauem mortis eſſe memoriam, omnemq; vitæ iucunditaté tollere: nilque illo homine triſtius, cui quotidie cogitandum ſit, iam iamque eſſe moriendum. Siquidem mortis cogitatio iis eſſe horribilis ſolet, qui omnia ad voluptaté referunt futilemque lætitiam, cuius eſt lætitiæ finis in morte,

*Matth. 24.*

morte. Cùm enim hora illa aduenit, omnis præterita iucũditas pro nihilo eſt, tantuſq; in homines timor inuadit, quanta iucunditas fuit præteritarum voluptatum. Qui verò ſe à corpore disiungunt, qui nihil omnino cum ſtulto populo, errorumque magiſtro contrahunt, qui cœleſtia ſemper ſpectant, qui in Chriſto ſuas omnes cogitationes, curaſque defigunt, qui cupiditates, ac libidines refrenant, ac comprimunt, hi tædia vitæ deuorant, mortiſque deſiderio commouentur. Ad hanc ſpe incitati, amoreque incenſi rapiuntur, in illa æquis magis, quàm libentibus animis commorantur. In vita tanquam in fluctibus verſari ſe putant, ad mortem veluti ad portum paſſis velis peruehi cupiunt. Mortem expetunt, vitam perferunt: ita viuunt, vt mori velint, ita moriuntur, vt regredi nolint: vitę propagationem ferunt, tolerant, patiuntur, extinctionem lucis huius poſcunt, optant, amant, vt ex his tenebris excedentes ſempiterni luminis aſpectu ꝑfruãtur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Neque ſanctos viros nobis mors eripit, qui in eas oras migrant, vnde multo commodiùs ac meliùs auxiliari nobis ac ſubuenire queant. *Dabo operam,* coeli ille ianitor inquit, *habere vos frequenter poſt obitum meum.* Scitum eſt quid ſanctus Dominicus diſcipulis moriens promiſerit, quos flere vetuit, & mœrore confici, propterea quòd multo illis poſt mortem futurus eſſet vtilior. Eſt enim, vt diximus, verè ſapientis mors vita quædã, & immortalitatis aditus glorioſæ. Moſes & eius frater Aaron ſic ex hac vita migrauerunt, vt non mori, ſed obdormiſcere, & ſomno cõſopiri viderentur. Nullus morbus, nulla ægritudo, nullus fuit angor in morte. Diſcipulus ille, quem Chriſtus Iesvs & diligebat, & diligit, in ſumma ſenectute lõga ad populum de Chriſtiana doctrina concione habita ſine morbo, ſine dolore membra in ſepulchro tanquã in lecto collocauit, illis longam ſalutẽ dixit, quibus ſaluti fuerat, itaq; ex hac vita diſceſſit, vt qui ex loco migrat in locum. Verum enim

*Matth. 2.*

*...o. ...34.*

*...on ...phra- ...s Vita ...annis ...Petrus ...miani ...erm. 2. S. Ioan- ...Euan- ...liſta.*

enim eſt illud, quod fluxit ex ore Dei, mulierem fortem, id eſt, ſanctam animam in die nouiſſimo eſſe riſuram. O verè fructuoſa ſapientis mors, quæ æternæ vitæ ianua eſt, noſq; corporū reliquiis locupletat. Tunc ſanctis nos animis pleno ore commēdamus, aras excitamus, templa erigimus, feſtoſq; dies dedicamus. Mors enim metum nobis eripit, quem anceps vitæ curſus iniicere ſolet, & bonorum nos hæredes facit. Illis quidem, quos in beatorum numerum relatos eſſe ſcimus, religioſum cultum adhibemus, ſin autem nihil tale decreuit Eccleſia, honorem illum mortuo vel amico, vel propinquo, vel ſocio, vel benefico duntaxat habemus, quem ratio ipſa præſcribit. Eius enim, quem vidimus, cuius vitam admirati ſumus, quemque in cœlum aſcendiſſe credimus, dicta, facta, reſq; omnes meminimus, narramus, exponimus. Fieriq; ſæpe ſolet, vt ſapiens Samſonis exemplo multo plures virtutis hoſtes moriens interimat, quàm viuens occiderit. Quò autem *Iudi. 1*

minùs gloriæ appetentes erimus, eò nos magis immortalis ille Deus honorabit in morte. Declarauit hoc nuper cuiuſdam noſtri mors, quã tibi iiſdem verbis narrabo, quibus eſt à noſtro quodam ſcriptore mandata literis. *Hoc ipſo anno* (inquit) *pridie idus Februarias ceſſit è vita Franciſcus Perez beati Xauerij comes antiquus, cuius ea fuit ſanctitatis opinio, vulgo vt ſanctus appellaretur, quem Franciſcus ipſe Xauerius dicere ſolitus eſt, nulli rei ſe ita inuidere, vt huius patris humilitati. Adminiſtrauit omnia ferè huius prouinciæ collegia, cumq́; affecta iam ætate (erat enim ſeptuagenarius) crebris ægrotationibus quateretur, dum ab vrbe S. Thomæ in hanc ſecedit, ingraueſcente in itinere morbo Negapatani conſumitur. Iuſſit pater corpus ſuum eodem, quo inopes condi ſepulchro, ſed tamen totius comitatu nobilitatis in ſacello maximo perhonorificè ſepultum eſt. Eius funus Franciſcanorum patrum familia curauit, ſtatim autem vt funebris campanarum pulſus auditus eſt, populus, vt aliquid reliquiarum cauſa præriperet, aduolauit, inter humandum corpus*

Matth. 2.

*ſtimexcitatus eſt clamor, turbaq; demortui pedes oſculari conantiũ, vt depoſito ferctro lacrymis fuerit, pietatiq; cedendũ. Affirmabat nobilis in primis vir, apud quem ille deceſſit, ſtatim atque animam ſenex efflauit, triginta ſe vidiſſe forfices ſupra caput tendentium reliquiarum loco capillos: iiſq; ad vnum euulſis nudo ad tumulum elatum fuiſſe caluitio: alij etiam barbam vellere, vngues præſcindere, alij veſtimenta diripere tanta auiditate cœperunt, vt perbeatus ſibi videretur, qui ex eo funere non inanis rediret. Hector ac Rodericus Sella, Damianuſq; Pais viri nobiles intimam patris occupauere ſubuculam, Rodericus ne hac quidem contentus linteum abſtulit è cubiculari lecto tanto pietatis ſtudio, ac ſi quid de beati cuiuſpiam reliquiis abſtuliſſet. Quidam cùm roſarium præripuiſſet, ſtatim affuit, qui pro eo tabulam magni precij, & nonaginta aureos offerret. Ethnici multi lacrymarum copia proſequuti ſunt funus, vt ne Chriſtianorum quidem lacrymis cederẽt: aiebantq;, ſi quis eius vitæ vir, aut pater ipſe inter ethnicos obiiſſet, futurum fuiſſe, vt ædem ei populus conſecraret, & in*

*Pagodum, hoc eſt deorum ſuorum numero collocaret*. Hactenus ille. Et hic quidem ſi cœlo fruitur, quod piè credendum eſt, ad Confeſſorum pertinet numerũ, Rodolphi autem Aquæ viuæ præclari martyris non mortem, quæ iam ſatis eſt cognita, neq; ſepulturæ honorem, ſed extremæ vitæ quædam prædicare libet, quæ clara per ſe mors ipſa pro Chriſti nomine oppetita multò effecit clariora. In his etiam narrandis noſtri ſcriptoris verbis vtar. *Rodolphus toto illo biennio, quo apud regem fuit, postremo præſertim anno, quo ſine comitibus eſt verſatus, antiquorũ patrum ſimilem vitam egit. Victus ei erat aridus, & perexiguus, ſtatis diebus inter hebdomadam abſtinebat à cibis, ſæpe voluntarias pœnas, vt Deum propitium regi redderet, vltro ſubibat. Studia eius non libris, aut chartis, ſed aut orando Deo, aut perdiſcenda lingua Perſica conſumebat. Et quãquam precationi plurimum erat addictus, tamen extremo illo tempore, quo inter barbaros fuit, ei rei multò ſe dicauit ardentiùs. Nocturna & diurna ſpatia orando continuabat, nec enim pedem efferre*

Matth. 2.

fori-

ribus conſueuerat, niſi interdum adeundi
ge cauſa: ſæpeq; euenit, vt cùm ſe primis
ebris coniecisſet in preces, in eodem ma-
neſtigio, in quo primùm ſtetiſſet, reperi-
tur. Labores, ægrotationes, incommoda,
inter barbaros pertulit, nec pauca fuê-
nec leuia, ſed ea tamen diuina ſolatia, ac
leſtes dulcedines compenſabant. Ferunt
m ſolitum dicere ſe extremis illis tempo-
bus ſuæ inter ethnicos moræ magnam ex-
rtum eſſe tranquillitatē, & pacem, ac tum
ug ex animi vixiſſe ſententia. Vt planè
mo dubitet, quin eum Dominus ad eam
artyrij gloriam, quam ei reſeruauerat, ex-
aret. Siquidem ex Mogoris regno ea vir-
tum decora reportauit, vt non ex aliqua
rbarie, ſed ex quadam quaſi officina vir-
tis rediiſſe videretur. Vides quem fe-
fructum, & quantū ſapientis mors?
on enim vitæ laudes tam diligenter
iligeremus, tā ſtudioſè diſceremus,
ntopere miraremur, niſi illas præ-
ra mors, tāquam regis ſigillo, cuius
iolari non poſſit authoritas, conſig-
aſſet, roboraſſet, muniuiſſet. Ergo
tris Franciſci Borgiæ vitę clariſſimę



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

conſentanea mors fecit, vt tu eſſes ad eam ſcribendam alacrior, quod opus vt vrgeas, atque etiam diuulges, te vehementer oro. Vale & domeſtico tuo Fernando Soliero gratias meo nomine quam maximas age, cuius pietate mirabili, laborioſaque diligentia perfectum eſt, vt tot pene ſanctorum ſacra oſſa, & venerandas reliquias habeamus, quot ſunt in tuo libro ſanctorum nomina. Et vt tu ex Latino ſermone in Hiſpanum vertiſti librum quaſi faſtorum notantem & indicantem dies, ſic Ferdinandus ex Italiæ ſacrariis Pontificis ſummi permiſſu ſacrorum pignorum bonam partem in Hiſpaniam, Indiamque tranſtulit, ſimulque Sanctorum eorundẽ ferias auxit, cultum amplificauit, & religionem propagauit.

Vale iterum.